DE ORIGINIBUS HISTORIAE ROMANAE

SEU

DE ANTIQUISSIMIS CARMINIBUS HISTORICIS, DE LEGIBUS REGIIS ATQUE DE COMMENTARIIS REGUM

SCRIPSIT

CHRISTIANUS PETERSEN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSOR PUBLICUS
IN GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO.

PRAEMISSUM EST INDICI SCHOLARUM IN GYMNASIO ACADEMICO
A PASCHATE 1835 USQUE AD PASCHA 1836 HABENDARUM.

HAMBURGI 1835.
TYPIS JOANNIS AUGUSTI MEISSNERI, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET JOANNEI TYPOGRAPHI.

IN COMMISSIS PERTHESII ET BESSERI.

VIRO

DOCTISSIMO ACUTISSIMO

DE STUDIIS HOMERICIS MERITISSIMO

GREGORIO GUILIELMO NITZSCHIO

PHILOSOPHIAE DOCTORI

IN UNIVERSITATE KILONIENSI

ELOQUENTIAE PROFESSORI PUBLICO

SEMINARII PHILOLOGI DIRECTORI

REI SLESVICO-HOLSATICAE ADMINISTRATORIBUS

EXTRA ORDINEM ADSCRIPTO

REVERENTIAE ET AMICITIAE

TESTANDAE

HAS LITTERAS

CONSECRATAS VULT

AUCTOR.

De originibus historiae Romanae.

Quae mirabile Niebuhrii ingenium de populi Romani origine et rebus gestis memoriae prodidit nova, ea an vera atque certa sint, dubitarunt multi, refutavit mea quidem sententia adhuc nemo. Quo quis diligentius pervolutaverit eius libros, quo intentius perspicere studet, quid de reipublicae Romanae principio et commutationibus ille statuerit, quibusque argumentis sententiam suam probaverit, eo maiore flagrabit studio aut fortius affirmandi, si quid dubium videtur, aut accurate refellendi, si in errorem eum putat incidisse. Gaudio perfunditur animus, si argumenta invenire contigit, quae omnem tollant dubitationem, omninoque evanescere iubeant obscuritatem. Sed cogitantibus nobis et animo volutantibus, quam difficile sit assequi tanti viri solertiam atque doctrinam, non deerunt cautio et modestia. Summopere vero oportet nos vereri in rebus examinandis tam arduis tamque gravibus, ne succumbamus rerum novarum cupidini, neve inhaereamus praeoccupatae opinioni. Solum veritatis studium nobis praeferat facem necesse est.

Ex quo magnus ille vir res Romanas perscrutandi novam monstravit viam, quaesitum est, utrum poësis, an prosa oratio sit vetustior, non in toto hominum genere, sed apud Romanos. Quam quidem de aetate utriusque orationis quaestionem mittamus, teneamus vero et probare studeamus, id quod maxime est impugnatum, res gestas maiorum a Romanis iam antiquissimo tempore cum carminibus esse celebratas, tum incultis horridisque annalium monumentis illustratas.

Prae ceteris Niebuhrius sibi proposuerat antiquissimos quosque rerum cognoscendarum fontes investigare et aperire, ut certa esset norma, ex qua de auctorum fide statueretur. Attamen in hac ipsa re et plurimis aliis non ubique caute videtur egisse, neque mihi omnino satisfecit. Etenim tam aperte nonnunquam sibi

ipsum repugnasse contendere ausim, adeo non diligenter fuisse versatum in gravissimis nonnullis, qui huic rei lucem affundant, locis veterum scriptorum enucleandis, ut iusto harum rerum iudici sperem de eius quadam incuria nullam remansuram esse dubitationem.

Sed ne quis audaciorem me putet, quam deceat esse eum, qui primum de rerum Romanarum cognitione publice disserat, idque contra virum summae auctoritatis, iam praemonere satius est visum, me potius rationem argumentandi impugnare, quam quod effectum est argumentatione, res vero, quas e tenebris eruit, me ea, quam ille aperuit, via denuo perscrutatum esse atque retractasse, neque nullas quidem vel in dubium vocasse vel refutasse, plurimas vero, quas attingere licuit, magis firmare studuisse, ut iam, si non omnino stabilitae, tamen certiores et clariores factae viderentur. Tantum abest, ut eius meritis obtrectem, ut, si quid bonae frugis protulisse videar, id me illi acceptum referre ingenue fatear.

Itaque cum de carminibus istis antiquis absolvero, de aliis litterarum monumentis illustrantibus illis res gestas atque instituta regum Romanorum, imprimis de ipsorum legibus et commentariis paullo fusius agam.

I.

De antiquissimis Romanorum carminibus historicis.

Nemo animadverterat, Perizonium (in Animadversionibus historicis c. 6) in lucem protraxisse aliquot veterum scriptorum locos, qui docerent, ultima iam antiquitate a Romanis laudes maiorum esse celebratas carminibus, ex iisque repetendam historiae originem, cum Niebuhrius (in prima Historiae Romanae editione Vol. I. p. 178) idem statuit, aliis argumentis ductus; poësin enim in ipsa antiquissima historia agnovit, quippe quae propius accederet ad ornatas poëtarum fabulas, quam ad priscorum annalium sterilitatem.

Cum hac de re plures litem ei intendissent*), eam in secunda et tertia operis sui editione (Vol. I. ed. 3 p. 283 sqq. Vol. II. p. 6) iterum in disquisitionem

---

*) A. W. v. Schlegel Rec. Heidelberger Jahrbücher. 1816. No. 53. sqq. W. Wachsmuth die ältere Geschichte des Römischen Staats. Halle 1819. p. 19. Fr. Lachmann de fontibus Historiarum Livii commentationes. Gottingae 1822. Comm. I. p. 18.

vocavit, veterumque scriptorum testimoniis nisus fortius affirmavit, ipsasque eiusmodi poëmatum reliquias e monumentis protulit, ut, fuissentne haec carmina necne, iam minus quaererent, quam de eorum ambitu, conditione et integritate dubitarent*). Neque originem tantum horum carminum atque aetatem investigavit, sed indagare etiam voluit, quas subierint vicissitudines, et quomodo perierint. Persuaserat sibi vir sagacissimus, quae prius fuissent cantata, ea in suum usum convertisse Ennium, primosque annalium auctores, qui soluta uterentur oratione (Vol. I. p. 235, 246, 289. Vol. II. p. 6), deinde imprimis Ennii celebritatem effecisse, ut in oblivionem venirent poëmata ista obsoleta. Nihilominus eorum reliquias opinatur usque ad Augusti tempora pervenisse, neque illas in litterarum monumentis esse servatas, sed in ore vulgi viguisse, publice cantatas, ut ipse Dionysius, homo Graecus, eas audiret atque intelligeret (Vol. I. p. 246 et 289). Eamque sententiam acriter defendit miro obcaecatus errore; namque, ne quid de lingua Latina moneam, tum omnino mutata, neve de vulgo, tum fere peregrino facto, scriptores, qui horum carminum mentionem faciunt, praeter Dionysium omnes ea, ut deperdita, deplorant.

Mirum est, hominem ceteroquin cautissimum non sensisse, parum esse verisimile, quod professus esset, magis etiam mirandum, eum non accuratius inspexisse, non diligentius perpendisse Dionysii verba. Quae cum ego aggrederer, ipsa typographorum signa („ “), priusquam legerem, mihi indicarunt, non Dionysii esse verba, sed alius scriptoris ab eo allata. Namque in vulgari illa de Romuli et Remi natalibus narratione (lib. I. c. 79) hoc legitur: *Οἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατά τε ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον οὐ συοφορβοῖς καὶ βουκόλοις ἐοικότες, ἀλλ' οἵους ἄν τις ἀξιώσειε τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύντας γένους καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορᾶς γενέσθαι νομιζομένους, ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.* Neque tamen Dionysium Halicarnasseum haec patria carmina cantata audivisse, sed Fabium Pictorem, qui omnium Romanorum primus confecit Annales, docent verba, quae Dionysius praemisit, haec: *περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει.* Quisque, opinor, concedet, non de statura tantum et genere iuvenum

*) K. L. Blum Einleitung in Roms alte Geschichte. Berlin 1828.

esse cantatum, sed de vita etiam divino consilio servata, rebusque fortiter gestis. Haec carmina etiam Plutarchus respicit, vel auctor, quem secutus est, non modo in Romuli vita, sed etiam in oratione, quam a Numa habitam fingit, cum ei regnum Romanum offerretur (c. 5): *καὶ Ῥωμύλον μὲν οὗτοι παῖδα θεῶν ὑμνοῦσι φήμαις καὶ τροφήν τινα δαιμόνιον αὐτοῦ καὶ σωτηρίαν ἄπιστον ἔτι νηπίου λέγουσιν.*

Ex isto Fabii loco coniicimus, pluribus diversisque carminibus easdem res esse celebratas, exque carminum varietate varias de originibus Romanis ortas esse opiniones. Licet alia causa excogitari possit, quae effecerit, ut primi iam rerum urbanarum commentarii inter se differrent, certe Fabium nihil nisi plurium poëmatum notitia commovere potuit, ut ad carminum consensum (*ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις*) provocaret. Quod si iam dubium non est, Fabium in rebus Romanis narrandis veteres poëtas esse secutum, idem de Ennio est sumendum, quippe qui et prius scripserit, et in ea ipsa fabula de natalibus Romuli cum Fabio consenserit. Etenim uterque Romuli matrem non *Rheam Sylviam*, sed *Iliam* vocavit*) *Lupum*que feminam dixit.**) Maiore etiam iure Naevium colligimus priscis carminibus esse usum, quippe qui et Ennio fuerit antiquior, et ipsum versuum Saturniorum metrum adhibuerit.***)

Ut horum carminum indolem, quantum fieri potest, investigemus, praemissis veterum testimoniis, Niebuhrii coniecturam examinemus, ipsa poëtarum vestigia persequentes, quae adhuc appareant. Poësi sacra praetermissa, de qua nemo dubitet, duo carminum historicorum genera Niebuhrius recte videtur distinxisse, Naenias et carmina vere historica vel heroica. De Naeniis, cum nihil sit magni momenti, quod addamus, disceptationem omittendam duximus. De ceteris vero carminibus, quae traduntur, quamquam hodie minime sunt ignota, tamen hic repetantur oportet, quo facilius nostra sententia percipiatur.

---

*) Servius ad Virg. Aen. I. 277, III. 333. Dion. I. 79.

**) Quinct. Inst. I. 6, 12. „*Lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, Lupum feminam dicit, Ennium, Pictoremque Fabium secutus.*“ At huic loco nihil tribui posse confiteor, nisi soluta fuerit quaestio de Fabiorum Pictorum diversitate. Cf. Nieb. Vol. II. p. 9. Blum p. 73. Equidem in eorum sententiam discedendum arbitror, qui putant, Fabium et Graece et Latine scripsisse. Lachmann Comm. I. p. 26.

***) De aliis rebus ab Ennio discessit, de Ilia vero, Aeneae filia, ei assensus est. Serv. ad Virg. Aen. I. 277.

„*Atque utinam*, inquit Cicero (Brut. c. 19 §. 75), *exstarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato.*“ Quo ex loco apparet, Catonis aetate hunc morem non amplius obtinuisse, quamquam, quod tradit, multis saeculis ante suam aetatem carmina illa *esse cantitata*, inde non efficitur, multis ante saeculis etiam *desitum esse* cantari. Unde hoc compertum habet, nisi primi historici audiverunt? id quod de Fabio nunc constat. Accuratius ex eodem Catonis libro hunc morem describit Cicero in Quaest. Tusc. (IV. 2) hisce verbis: „*Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes.*“ Duplicem canendi modum exposuit Varro, in libro, quem scripsit de Vita populi Romani, secundo, auctore Nonio (II. 70): „*In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine.*“ Ut caeteros praetermittam locos, qui nihil novi addant *), ipsa Dearum ratio, a quibus canendi facultatem repetebant, multum carminibus esse tributum arguit. Etenim praeter Naeniam, cui extra portam Viminalem sacellum erat dedicatum (Festus ed. Lind. p. 106), Camoenas antiquitus Romani studiose colebant.**) De Camoenis a rege Numa cultis infra disputabimus. Hoc loco sufficiat Varronis locum adscribere (L. L. VII. §. 36): „*Fauni dei Latinorum, ita ut Faunus et Fauna sit; hos versibus, quos vocant Saturnios, in silvestribus locis traditum est solitos fari futura, a quo fando Faunos dictos. Antiquos poetas vates appellabant a versibus viendis.*

Quod monet Varro ad versum enucleandum Ennii hunc:

„*Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.*“

Quem versum etiam Niebuhrius testem citavit, quo Romanis priscis poësin vindicaret; etenim nec notiones et voces habere potuerunt rerum, quae iis ignotae essent, neque tam diversos deos colere, quibus poësis originem tribuerent, nisi ipsam magni aestimabant, eiusque diversa habebant genera. Itaque si carmina funebria ad Naeniam, carmina sacra ad Faunos referebant, etiam historica fuerint oportet,

*) Cic. Tusc. I. 2. Valer. Max. II. 1, 10. Cic. de Rep. l. IV. apud Aristidem Quinct. II. p. 69. ed. Meibom. Horat. Od. IV. 15, Epist. II. 1. v. 23—27.

**) Varro de Ling. Lat. VII. 26 et 27.

quae a Camoenis repeterent, quas a carminibus esse dictas Festus (p. 34) tradit, „*quod canerent antiquorum laudes.*“

Quae omnia si Fabii auctoritati adiungimus, Schlegelio et Wachsmuthio assentiri non possumus, poëmata illa tam exigua fuisse tamque inania, ut inde nihil in historiam redundaret, sed nobis persuasum est, recte a Niebuhrio esse collecta atque ab institutis legibusque bene seiuncta, quae ex illis in historiam translata putaret. Audacius tamen, quam verius idem credidit, carminum nexum, ambitum et fines posse instaurari. Fundamentum enim, quo nititur eius argumentatio, non satis est firmum. Ex paucis, quae apud Ennium atque Livium eadem reperiuntur, hunc illius vestigiis ingredi colligit; cumque ab Ennio veterum carminum non nisi metrum et sermonem mutatum opinetur, illa ipsa in Livio apparere contendit. Constat quidem Livii orationem omnino pendere ex auctoribus, quos quoque loco sequatur, eumque hac de causa nunc ad poëtarum ornatum efferri, nunc annalium veterum sterilitatem prodere, sed neque cognitum habemus, quam accurate Ennius expresserit priores, neque verum est, Livii, ubi elegantius et ornatius scribit, auctorem esse Ennium. Nam ut de chronologia taceam valde implicata, neque Livius quidquam de Ilia habet, Aeneae filia, neque Ennius Rheae Sylviae nomen agnoscit: adeo quae alter matri Romuli accidisse narrat, ab alterius narratione omnino discrepant*), similesque discrepantias plures facile investigamus.

Eadem de causa neque Naevius Livii auctor esse potest.**) Unde igitur hausit fabulas Livius? In primis libris nihil adhibitum esse, nisi Fabii, Cincii, Pisonis, aliorumque annales, probare studuit Lachmannus, a quo ut rem non tantum omnino confectam credamus, efficit orationis, de qua diximus, inaequalitas. Animadverso, Livii narrationes, de quibus agimus, potius ad tragoediarum leges, quam secundum epicae poësis normam esse comparatas, facile nobis persuasimus, fieri potuisse, ut recordatio tragoediarum togatarum, quas aut in scena spectavisset, aut domi legisset, eius stilum regeret, rerumque nexum, quem poëtae scenici aut excogitaverant, aut arctius ligaverant, in historiam transferret.***) Pauciora

*) Quinti Ennii Annalium Fragmenta. Opera et studio E. S(pangenbergii). Lips. 1825. p. 11. seqq.

**) Naevii librorum de bello Punico Fragmenta in eodem opere exhibita p. 188. sqq.

***) Liv. I. 46. De Servii Tullii morte: „*Tulit et Romana regia sceleris tragici exemplum.*“

exstant fragmenta, quam ut res ad liquidum perduci possit: itaque hoc tantum moneo, cum tragoedias huius modi et semper et imprimis Augusti aetate*) apud Romanos in honore fuisse, tum quae ex Attii Bruto servata sunt, quamvis sint exigua, tamen in nonnullis locis Livianae narrationis memoriam excitare.**)

Quae de carminum priscorum numero et amplitudine Niebuhrius exposuit cum multo etiam magis in dubium videantur esse vocanda, Blumii***) sententiam amplecti malim, multa quidem fuisse carmina historica, ea vero minora.

De Romulo unum fuisse carmen Niebuhrius opinatur (I. p. 243 et 288), quod ab eius natalibus inciperet, resque gestas narraret usque ad mortem. Verum enim vero nos de ipsis natalibus plura exstitisse poëmata, e fabularum varietate arguere sumus conati. Hoc etiam loco non satis sibi convenit Niebuhrius, cum Iliae nomen et res *Graecis* deberi contenderet (I. p. 235.) simulque Fabium, qui easdem fabulas exhiberet cum carminibus *Romanis* consentire concederet. Sed hac ipsa de causa narrationem de Ilia, Aeneae filia, a Romanis esse repetendam suspicor, illam vero fabulae formam, quae Rheae Sylviae nomine utatur, eamque pro Numitoris, Albani regis, filia habeat, Albae Longae originem debere. In utraque fabula, ad Graecae mythologiae similitudinem, urbis Romae situm locique naturam agnoscimus. Rhea Sylvia, seu Ilia, nil aliud est, quam fossa, quam Romani postea Cluiliam nominabant, nunc Marranam nuncupant, quae Rheae Sylviae nomen accepit, quia per sylvam fluit, Iliae vero, quia per valles sinuatur (cf. Festus s. h. v. p. 78. Isidor. Origg. IV. 6, 14. XI. 1, 100). Hic enim rivus, vel torrens, cum antea in Anienem vallis Albanae aquam derivasset, postea deflexus est per vallem Circi Maximi in Tiberim. Id et veteres tradiderunt, et recentiores, qui hanc regionem noverant, testantur (Nieb. Vol. I. p. 225). Nunc intelligimus, quod Horatius (Od. I. 2, 18) de Tiberi memorat, Iliae coniuge:

---

*) De Fabula togata Romanorum. Scrips. Ioa. Hen. Neukirch. Lips. 1833. p. 28. sqq.

**) Cogito de Bruti stultitia (Liv. I. 56. Neukirch p. 84. ex Cic. Divin. I. 22) atque de Servii Tullii mentione (Liv. I. 59. Neukirch p. 88. ex Cic. orat. pro Sext. c. 58). Quae si non omnino eadem sunt, tenendum, e tragoedia magis rerum nexum et dicendi genus esse petitum, quam ipsas fabulas. Cf. Nieb. Vol. I. p. 578. N. 1150.

***) p. 8. sqq.

Vidimus flavum Tiberim retortis
Littore Etrusco violenter undis
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Iove non probante, u-
xorius amnis.

De quo loco docte refert Porphyrion, (quod miror Niebuhrio non in mentem venisse vel non ab eo esse memoratum): „*Ilia, auctore Ennio, in amnem Tiberim iussu Amulii regis praecipitata est. Antea enim Anioni matrimonio iuncta; atqui hic legitur, quasi Tiberi potius nupserit*“ *). His concessis, non audacius videbor pronuntiare, Romulo significari civitatem Palatinam, quam Romani incolebant, Remo autem Remurium, i. e. murum e regione situm, urbem Aventini **); Iliám, quae inter hos montes flueret, vocari geminorum matrem, Tiberim vero patrem, quod flumina efficerent, ut montes habitari possent; postea cum bellis excelleret populus Romanus, in Tiberis, patris, locum suffectum esse Martem, belli auctorem; lupam vero vel lupum de solo intellexerim stagnum, quod Tiberis inundatio effecisset, exsiccante ***), picum, qui infantibus cibos apportasse dicitur ****), de glandibus et pomis, Accam Larentiam, cuius filii habentur fratres Arvales, spicea corona et albis infulis ornati, de agri cultura *****), Faustulum denique, pastorem, de re pecuaria.

De Numa parva tantum exstitisse carmina Niebuhrius concessit (I. p. 288). In hisce ipsarum Camoenarum cultum, quem Numa aut instituisset, aut auxisset, fuisse celebratum, Cicero et Plutarchus significant. Ille (de Orat. III, 51): „*Nihil est autem*, inquit, *tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque*

*) Servius ad Aen. I. p. 277 „*Hanc*, ait, *ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii, inter quos Horatius, Tiberis.*“ Cf. Ovid. Amor. III. 6, 45.

**) Festus s. v. Remurinus ager p. 136 et 229. Serv. ad. Aen. VII. 659.

***) Creuzer's Symbolik. II. p. 133.

****) Eadem avis est Κελεός in mythologia Cereris. Hymn. Hom. in Cer. v. 96. Creuzer's Symb. IV. p. 437. Cf. Mythogr. Vatic. ed. Bode. III. 11, 11. p. 235.

*****) Gellius N. A. VI. 7.

voces, quibus et excitamur et incendimur et lenimur et languescimus et ad hilaritatem et ad tristitiam saepe deducimur, quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, maioribusque nostris, ut epularum solemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant.“ Accuratius rem indicavit Plutarchus (Vit. Numae c. 8): *τῷ δὲ Νουμᾷ δρᾶμα θεᾶς τινος ἢ νύμφης ὀρείας ἔρως ἦν καὶ συνουσία πρὸς αὐτὸν ἀπόῤῥητος καὶ κοιναὶ μετὰ Μουσῶν διατριβαί· τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν μαντευμάτων εἰς Μούσας ἀνῆγε καὶ μίαν Μοῦσαν ἰδίως καὶ διαφερόντως ἐδίδαξε σέβεσθαι τοὺς Ῥωμαίους Τακίταν προσαγορεύσας, οἷον σιωπηλὴν ἢ ἐνεάν.* Ne quis de Tacita Musa coniecturam faciat, Romanos Musis omnino non cantum, sed instinctum modo divinum et meditationem tribuisse, monemus, a verbosis etiam Graecis et Musarum matrem, Mnemosynen, tacitam induci, et ex ipsis novem sororibus unam, Polyhymniam, cui fabulas divinas et poëmata sacra adscriberent, ad divinum eius afflatum significandum, feminae meditantis et tacentis statu effingi esse solitam.*)

Tulli Hostilii res, imprimis bella cum Albanis gesta, uno non parvo carmine fuisse contentas, eoque ex carmine ipsos versus Saturnios apud Livium (I. 26) esse servatos Niebuhrius arbitratur (Vol. I. p. 288), arguens, e libris pontificiis eiusmodi poëmatum reliquias esse depromptas (I. p. 383). Sed quod Livius legem nuncupat horrendi *carminis,* inde non sequitur, hoc de iusto carmine seu poëmate esse intelligendum. Formulae enim Fetialium (c. 24 et 32) aliaeque multae a Livio aliisque scriptoribus**) appellantur carmina. De horum versuum natura cum praematura morte nobis ereptus Niebuhrius nos docere non potuerit***), ego iudicare non ausim: id tamen affirmare non dubito, antiqui iuris formulis numerum fuisse poëticum dictionemque, quae ad divinum poëtarum instinctum efferretur. Nihilominus inde non collegerim, has formulas e poëmatis esse petitas, sed omnem orationem publicam antiquitus instar poëmatum fuisse, quod Germanorum quoque iura vetera probant. Simul inde discimus, Romanis per omne aevum minime defuisse poësis amorem atque facultatem. Illae vero parricidii formulae unde provenerint, postea videbimus.

---

*) Il Museo Pio-Clementino descritto da Giamb. Visconti. Roma 1782. p. 45. sqq.

**) Cic. pro Rab. c. 4. pro Murena c. 12. de Orat. I. 57.

***) I. p. 288 N.

Ad Ancum Marcium venimus, de quo nullum fuisse poëma Niebuhrius (I. p. 288 et 390) contendit, quamquam *boni* cognomine in priscis carminibus eum fuisse ornatum, (p. 292) ipse profitetur. Quare etsi minus polita et elata, aliqua tamen poëmata etiam de hoc bono rege exstitisse crediderim, praesertim cum, quantus ornatus perierit, cum narrationes in solutam orationem transirent, non cognitum habeamus, neque intelligamus, quomodo ad posteros pervenerint, quae de eius rebus in bello gestis traduntur, nisi ex carminibus.

De magno illo poëmate, quod historiam Romanam complexum esse dicitur a Tarquinii Prisci incunabulis usque ad pugnam apud lacum Regillum commissam (I. p. 288 et 394), non habeo, quod addam, nisi de hoc quoque tempore plura ponenda esse carmina, e quibus historicorum narratio sit composita.

Nunquam intermissam esse poësin apud Romanos, idque agnosci ex iis, quae de Coriolano et Camillo memoriae sunt prodita, libenter concedimus*), neque tamen minus Virginiae, Manlii Capitolini, Manlii Torquati, Deciorum aliorumque laudes esse carminibus celebratas, eodem iure statuimus. Neque desunt testimonia de continuata poësi. Quam propensi fuerint Romani ad carmina facienda, probant duodecim tabulae, probat triumphorum licentia. „*Nostrae,* inquit Cicero (libro IV. de Rep. apud August. de Civ. Dei II. 9) *duodecim tabulae, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.*“ Maior in carminibus pangendis libertas erat, ubi triumphum sequebantur milites, qui mos, non diu post reges exactos primum memoratus**), etiam post bellum Punicum secundum valuit***). Sed non ludicrorum tantum carminum triumphalium fit mentio, sed gravium etiam atque severorum. „*Longe maximum,* inquit Livius (IV. 20 de Mam. Aemilio A. U. 318), *triumphi spectaculum fuit Cossus spolia opima regis interfecti gerens. In eum milites carmina incondita, aequantes cum Romulo, canere.*“ Ipsam T. Livii narrationem ab his carminibus originem duxisse, inde apparet, quod profitetur, eam publicis monumentis quodammodo repugnare. Quam magni semper Romani fecerint cantum et poësin, arguunt etiam, quae de ludis scenicis traduntur (Liv. VII. 2), deque tibicinum fidicinumque auctoritate (IX. 30). Si nulla

*) Niebuhr Vol. II. p. 7.

**) Liv. III. 29.

***) Liv. XXVIII. 9. XXXIX. 7.

poëtarum nomina sunt servata ex hac aetate, id iustae historiae defectui est adscribendum, aliorumque populorum exemplis illustratur. Neque negligendum est, cum nova litterarum Graecarum ratio introduceretur, priscam poësin popularem, iam inveteratam deterioremque factam, coeptam esse contemtui haberi. Clarissimum denique et certissimum de illa testimonium dicunt studia Livii Andronici*) et Q. Naevii, qui in carminibus heroicis, quae ad Graecorum exemplar componerent, tradito versuum Saturniorum metro uterentur.

Omnibus, quae de hac re exposuimus, bene perpensis, neque id Niebuhrio dare possumus, carmina historica forma ea, qua ad posteros pervenissent, non ante urbem a Gallis incensam esse induta. Vidimus enim a Numae aetate inde, Romae et cantitatum esse et novas semper res fortiter gestas, quae novis carminibus laudarentur. Linguam vero Latinam ab Anci Marcii aetate usque ad bellum Punicum secundum minus esse mutatam contenderim, quam duobus seculis, quae deinceps sequuntur. Licet carmina plebi maxime faverint, eaque a plebeiis facta arbitremur, inde non efficitur, ea tum demum esse facta, cum plebs Patriciorum iuri esset aequata. Neque pro certo affirmaverim, omnino nulla fuisse carmina, quae Patriciorum causam defenderent. Si recte iudicavit Blumius (p. 20 et 60 sqq.), id quod nos quidem credimus, Naevium et Cincium Alimentum a parte plebis stetisse, Ennium vero et Fabium Pictorem patribus favisse, non est, quod negemus, simile discrimen fuisse inter auctores carminum, quae quisque praetulisset.

II.

De legibus regiis et iure Papiriano.

Quam multa litterarum monumenta e regum Romanorum aetate servata fuerint, primus docte demonstravit Wachsmuthius**), eorum recensum auxit Fr. Lachmannus***). Niebuhrius eorum argumentis non est commotus, ut regum historiam minus incertam relinqueret, quamquam instituta regia in litterarum monu-

*) Liv. XXVII. 37. Festus s. v. Scribas, p. 258.

**) Die ältere Geschichte des Röm. Staats, p. 1 sqq.

***) De Fontibus hist. Livii Comm. I. c. 1, S. 1 et 2, p. 8 sqq.

mentis multa esse servata concessit*). Hic nimium, illi parum carminum fallaciis, annorum computationi postea refectae, annalibusque e memoria instauratis tribuerunt: utrique**) monumentorum gravissima et amplissima, ipsorum regum commentarios et leges, non satis videntur attendisse. Horum indolem et rationem, cum nemo adhuc, quod sciam, diligentius examinaverit, nos nunc in disquisitionem vocare conati sumus.

Commentarii regum, qui nunc appellari soliti sunt, a nullo veterum ita in universum laudantur, sed ubi eorum mentio fit, certi cuiusdam regis nomen additum reperimus. Neque omnium quidem regum afferuntur commentarii, sed Romuli tantum, Numae, Tulli, Anci atque Servii. Quod ne quis fortuito factum opinetur, animadvertendum, Tarquiniorum neque commentarios neque leges diserte nominari, eorumque historiam multo pluribus laborare difficultatibus et maiore etiam obscuritate, quam ceterorum regum. Iure inde colligimus, Tarquiniorum historiam e carminibus potissimum esse petitam, accedentibus tamen aliquot monumentis publicis, quae eorum instituta et res gestas aut respicerent aut continerent***). Non parva inde accrescit fides C. O. Muelleri****) sententiae, Tarquinios non Romanorum fuisse reges rite creatos, sed Tarquiniensium, qui rerum Romanarum vi essent potiti.

De regum Romanorum monumentis disceptaturi a legibus initium capimus, quia earum et reliquiae aliquot minus laceratae et depravatae ad nos pervenerunt, et historia fere integra est servata. Quae enim de fide iis praestanda exortae sunt dubitationes, iam eo tolluntur, quod qui reliquias collegerunt, magis de prisca forma restituenda solliciti erant, quam ut indolem et historiam accuratius inquirerent, quas vero vicissitudines subierint, nemo, quod sciam, satis diligenter persecutus est. Tam accurata traditur historia institutorum et legum, ut ipsa diligentia, qua commutationes memorantur, eam spuriam fictitiamque esse non sinat, praesertim cum auctores habeamus maxime inter se diversos, qui de iis consentiant,

---

*) Vol. I. p. 275 sqq.

**) Neglexit quidem eorum nemo, sed non tanti fecit, quanti ego eos faciendos duco.

***) Simile quoddam animadvertit Niebuhrius Vol. I. p. 330, C. Taciti auctoritate nisus, Annal. III. 26.

****) Etrusker Vol. I. p. 118 et 383.

atque probare possimus, diversa exstitisse monumenta, in quibus illi easdem leges reperissent litteris consignatas.

Romulus gentis Romanae auctor urbisque conditor etiam rempublicam constituisse primusque leges tulisse dicitur. Dionysius (II. 9) Ὁ δὲ Ῥωμύλος, inquit, ἐπειδὴ διέκρινε τοὺς κρείττους ἀπὸ τῶν ἡττόνων, ἐνομοθέτει μετὰ τοῦτο καὶ διέταττεν ἃ χρὴ πράττειν ἑκατέρους. Idem c. 24 Δοκεῖ δὲ καὶ τῆς ἄλλης εὐκοσμίας, ᾗ χρώμενοι Ῥωμαῖοι διεφύλαξαν εὐδαιμονοῦσαν τὴν πόλιν ἐπὶ πολλὰς γενεάς, ἐκεῖνος ἄρξαι, νόμους καλοὺς καὶ συμφέροντας, ἀγράφους μὲν τοὺς πλείστους, ἔστι δ' οὓς καὶ ἐν γράμμασι κειμένους καταστησάμενος.*) Licet dubitemus, Romulum fuisse certum hominem, qui illa egerit omnia, quae ei tribuuntur, tamen fieri potuit, ut litterarum monumenta superessent ex eo tempore, quod omni historiae luce careat. Accedit, quod hodie etiam exstat monumentum, quod illi aetati semet ipsum vindicet.**) Ex Cincii libro tertio de re militari apud Gellium (XVI. 4) formula belli indicendi servata est, quae ceteris formulis ad eandem rem pertinentibus antiquior est habenda, quod et hostilis populi nomen continet omnino ignotum, et populum Romanum appellat, Quiritium nomine omisso***), ut antequam Sabini in civitatem reciperentur, condita sit oporteat. A principio igitur urbis haec formula est repetenda. Sed artificiosa hac argumentatione opus non est, tam multa Romuli traduntur instituta, eaque tam accurate descripta, quae non nisi litteris mandata aut observari aut servari possent. Quamvis, quae semper custodita sunt, usu tradita esse possint, eorum tamen, quae postea vel ter quaterve mutata vel omnino abrogata sunt, notitia litteris debeatur necesse est. Neque alia ratione temporum discrimen posteris innotescere potuit. Itaque fidem praestemus illis monumentis, quae Romuli instituta accurate distinguant a Numae Pompilii legibus. Accipe ipsa Dionysii verba (II. 63.): Ὅσα μὲν οὖν ὑπὸ Ῥωμύλου ταχθέντα ἐν ἐθισμοῖς τε καὶ νόμοις [Νουμᾶς] παρέλαβεν, ἀπὸ τοῦ κρατίστου τετάχθαι πάντα ἡγησάμενος, εἴα κατὰ χώραν μένειν, ὅσα δ' ὑπ' ἐκείνου παραλελεῖφθαι ἐδόκει, ταῦτα προςετίθει.

Quae Numa constituerat, a Tullo Hostilio, qui ei in regno successit, viro belli studiosissimo, neglecta esse dicuntur. Ancus vero Marcius, qui eum excepit,

*) Cf. Plutarch. Rom. c. 22. Fest. s. v. Plorare. Serv. ad. Virg. Aen. VI. v. 609.

**) Idem dici potest de carminibus fratrum Arvalium.

***) Initium est: „QUOD POPULUS HERMUNDULUS HOMINESQUE POPULI HERMUNDULI ADVERSUM POPULUM ROMANUM BELLUM FECERE etc.“ De Hermunduris cogitari non posse, non est, quod moneam.

totum ius et civile et sacrum restituit. Ut intelligatur, quam definita et accurata sit narratio, ipsa rursus Dionysii verba (III. 36) adscribo: *Καὶ μετὰ τοῦτο συγκαλέσας τοὺς ἱεροφάντας, καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφάς, ἃς Πομπίλιος συνεστήσατο, παρ' αὐτῶν λαβών, ἀνέγραψεν εἰς δέλτους καὶ προὔθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ· χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί.**) Romuli leges esse restitutas non diserte additur, veri tamen simile est, eas aut omnino non sublatas esse aut comprehendi legibus Numae, quae diserte a libris sacrorum distinguuntur. Praeterea ex hoc loco discimus, iam codices tum exstitisse institutorum et publicorum et sacrorum, eorumque exempla a pontificibus esse servata.

Tarquinius Priscus, quem peregrinum Romae regnasse dixi, et ipse leges neglexerit, oportet; qui enim ei in regno successit, Servius Tullius denuo eas instauravit, teste Dionysio (IV. 10): *Νόμους τε συνέγραφεν ἐκ τῶν ἀρχαίων καὶ παρημελημένων ἀνανεούμενος, οὓς Ῥωμύλος τε εἰσηγήσατο καὶ Νουμᾶς Πομπίλιος, οὓς δὲ αὐτὸς καθιστάμενος.* Quid mutaverit Servius, quid addiderit, infra videbimus, hoc loco sufficit, ex ipsis veterum testimoniis legum regiarum historiam contexere. Ceterum animadvertendum est, tum etiam Romuli leges esse instauratas. Anci vero Marcii et Tulli Hostilii ne quis putet nulla tum exstitisse instituta, non praetermittendum est, ea cum ad ius belli et pacis pertinerent, non sublata videri a rege bellatore.

Quae adhuc disserui, solius fere Dionysii fide nituntur, quam si quis, etsi immerito suspectam habet, eum Taciti auctoritas convincat, qui eadem exhibet in brevius contracta (Ann. III. 26): *Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit: repertaque quaedam a Tullo et Anco: sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, queîs etiam Reges obtemperarent.*"

Tarquinium Superbum peregrinum rursus regem, eumque, qui non secundum leges, sed suo arbitrio imperaret, rempublicam a Servio optime constitutam omnino

---

*) Cf. Liv. I. 32. „*Numae Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat. Qui, ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus, aut prave cultis, longe antiquissimum ratus sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere, omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata proponere in publico iubet.*"

evertisse, non est, quod dubitemus; videamus autem, quam diligenter de eius tyrannide memoriae sit proditum: *τούς τε γὰρ νόμους,* inquit Dionysius (IV. 43), *τοὺς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, καθ' οὓς ἐξ ἴσου τὰ δίκαια παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον καὶ οὐδὲν ὑπὸ τῶν πατρικίων, ὡς πρότερον, ἐβλάπτοντο περὶ τὰ συμβόλαια, πάντας ἀνεῖλε· καὶ οὐδὲ τὰς σανίδας, ἐν αἷς ἦσαν γεγραμμένοι, κατέλιπεν, ἀλλὰ καὶ ταύτας ἀναιρεθῆναι κελεύσας ἐκ τῆς ἀγορᾶς διέφθειρεν.*

Regibus expulsis nihil prius agitatum est, quam, ut, libertate stabilita, respublica secundum commentarios Servii Tullii constitueretur, legesque reducerentur, quas ille aut tulisset, aut confirmasset. Rege sacrorum creato, qui sacra faceret, quae reges habuissent, eaque lege lata, quae secures e fascibus tolli iuberet, Dionysius pergit (V. 2), iam privatas leges esse restitutas: *Τοῦτο δὴ τὸ πολίτευμα καταστησάμενοι, πρόθυμον ἐποίησαν εἰς τὴν διαμονὴν τῶν πραγμάτων τὸν δημότην καὶ ταπεινὸν ὄχλον, καὶ ἄλλα τούτοις παραπλήσια οὐκ ὀλίγα. Καὶ γὰρ τοὺς νόμους τοὺς περὶ τῶν συμβολαίων τοὺς ὑπὸ Τυλλίου γραφέντας, φιλανθρώπους καὶ δημοτικοὺς εἶναι δοκοῦντας, οὓς ἅπαντας κατέλυσε Ταρκύνιος, ἀνενεώσαντο, καὶ τὰς θυσίας τάς τε κατὰ τὴν πόλιν καὶ τὰς ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, ἃς ἐποιοῦντο κοινῇ συνιόντες οἱ δημόται καὶ οἱ φυλέται, πάλιν προςέταξαν ἐπιτελεῖσθαι, ὡς ἐπὶ Τυλλίου συνετελοῦντο.* Mirum est, de legibus colligendis et recensendis novaeque recensionis auctore hoc loco nihil addere Dionysium, neque respicere ad ea, quae de hac legum instauratione antea dixerat. De legibus enim Numae ab Anco repetitis ubi disserit (III. 36), *Μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν,* inquit, *τῶν βασιλέων [οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαὶ] εἰς ἀναστροφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαΐου Παπιρίου, τὴν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος.* Utroque loco videtur alios adhibuisse auctores; altero autem ut Numae tantum leges memoraret, altero solius Servii, rerum nexus effecit: illic enim de Anci meritis disseruit, hic eas respici voluit leges, quae maxime populares essent. Aliorum etiam regum leges esse repetitas priusquam demonstremus, Dionysium hic a Livio dissentire animadvertendum est, maioremque fidem praestandam esse Livio. Ille enim, tempore non accuratius significato, simulac reges essent expulsi, hoc factum narrat, quod ad Brutum et Collatinum, consules, referremus, nisi diligentiorem haberemus narrationem Livii, qui auctor est, legem de fascibus aliasque leges populi gratas a Valerio demum Publicola esse latas, coniuratione, quae in favorem Tarquiniorum facta erat, detecta, primoque ipsorum impetu depulso. Inter leges Valerias Horatias

illam quoque exstitisse, quae legum regiarum collectionem fieri iuberet, et Dionysii testimonium statuere nobis suadet, auctoritate Livii correctum, et popularis legum, quas tulit Valerius, indoles. „*Latae deinde*, inquit Livius (II. 8), *leges non solum, quae regni suspicione consulem absolverent, sed quae adeo in contrarium verterent, ut popularem etiam facerent.*" Satis autem constat, quam grata fuerint in vulgus Servii Tullii aliorumque regum instituta.

Iis, quae hucusque disputavimus, auctoritatem adiungimus iureconsultorum, quorum cum alii leges regias pro iuris fonte habeant, tum Pomponius in Enchiridio de earum origine et collectione historicis consentit. „*Et quidem initio*, inquit (l. 2. §. 1 et 2. D. de Or. iur. (I. 2), *civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu a regibus gubernabantur. Postea, aucta ad aliquem modum civitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit: propterea quod tunc reipublicae curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam et ipse curiatas ad populum tulit, tulerunt et sequentes reges, quae omnes conscriptae exstant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur ius civile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in unum composuit.*" Utrum ipsius auctoris incuria factum sit, ut *Tarquinium Superbum Demarati filium* nuncuparet, an librariorum negligentia accusanda, hodie discernere non possumus. Neque diutius immorari volumus in vero Papirii praenomine investigando. Mirum enim est, eum, qui hoc loco *Sextus*, postea (§. 36) *Publius* appellatur, apud Dionysium (III. 36) *Gaii* praenomine distingui. Praeterea sunt, qui suspicentur *Manium Papirium*, qui regibus exactis, pontificibus et auguribus commendantibus, propter iuris sacri peritiam, primus rex sacrorum est creatus*) (auctore Dionysio V. 1), eundem esse atque nostrum, qui „*iuris imprimis peritus leges regias in unum contulisse*" dicatur. Neque sane infitias eamus, eum, qui rex sacrorum fuisset, postea in collegium pontificum esse cooptatum et deinceps Pontificem Maximum factum, praesertim cum septemdecim annis post, cum plebs in montem sacrum secederet, M. (Marcus

*) Ex coniectura Ursini audaciore Festus (p. 251) primum sacrorum regem nuncupavit Sicinium Bellutum.

an Manius?) quidam Papirius Pontifex Maximus esset.*) Manii praenomen proxima aetate in gentis Papiriae familia Crassorum fuisse usurpatum, fasti consulares docent, Marci vero praenomen postea quidem frequentius est.

Legum regiarum historiam Pomponius (l. l. §. 3) his verbis persequitur: „*Exactis deinde regibus lege Tribunicia omnes leges hae exoleverunt: iterumque coepit populus Romanus incerto magis iure et consuetudine ali, quam per latam legem; idque prope viginti annis passus est.*“ Quomodo haec verba distinguenda et intelligenda sint, maxime certant iureconsulti. Sunt qui post vocem *tribunitia* interpungendum censeant, ut de lege cogitetur, qua Brutus, tribunus Celerum, iussisset, exsules esse L. Tarquinium cum coniuge et liberis.**) Verum enimvero, siquidem a Pomponio regulas grammaticas observatas censemus, tum leges regias prius exolevisse dixisset, quam instauratas esse, quod absurdum est. Neque numerus viginti annorum, per quos populus Romanus incerto iure usus esse dicitur, tum haberet, quo referretur. Sed cuiusque vocabuli vi bene perpensa, tantum abest, ut Livius et Dionysius a Pomponio dissentiant, ut ipsi iustam Pomponii interpretationem suppeditent. Viginti annis ius incertum fuisse dicitur, viginti autem annis ante duodecim tabulas ius incertum factum est legibus Publiliis Laetoriis, quas A. U. 283 pertulerunt tribuni plebis Publilius Volero et C. Laetorius***), ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent, utque quod plebs tributim scivisset, legis vigorem haberet. Quae leges quamvis ad solam plebem pertinuerint, tamen, cum ex una republica duas facerent, iure publico perturbato, neque privatum custodiri passae sunt. Consulto igitur Pomponius leges *exolevisse*, non *sublatas vel abrogatas* esse dixit, idque vere.****) Consulibus enim, ad quos regum iurisdictio transierat, superbientibus plebs obsequium praestare amplius noluit. Dionysius

---

*) Asconius ad Cic. Cornel. p. 77 ed. Orell. Vol. 5. Part. II. Manii praenomen fuisse pontificis, siquidem idem est atque ille sacrorum rex, propterea suspicor, quod ex variis litterae M formis et integris et mutilatis cum G vel C tum P ipsaque S facilius oriri potuerunt, quam ex aliis M. Nam M et S antiquitus eandem habuerunt formam, sicuti G et C, haec autem (C) non diversa est a prima linea litterae M, et P similis duabus prioribus lineis eiusdem litterae, si curvis lineis pingebatur.

**) Zimmern Gesch. des Röm. Privatr. Vol. I. §. 26. p. 87. Niebuhr I. p. 586.

***) Liv. II. 56. Dionys. IX. 41—43. Niebuhr. II. p. 246.

****) I. A. Bachii Hist. Iurispr. L. I. c. 2. §. 1. N. a. ed. Stockmann. p. 22.

(X. 1) *Ἐταράττετο γάρ,* inquit, [ὁ δῆμος] *αὖθις ὑπὸ τῶν δημάρχων ἀναδιδασκόμενος, ὅτι πολιτειῶν κρατίστη τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶν ἰσηγορία· καὶ κατὰ νόμους ἠξίου διοικεῖσθαι τά τ' ἰδιωτικὰ καὶ τὰ δημόσια. Οὔπω γὰρ τότ' ἦν οὔτ' ἰσονομία παρὰ Ῥωμαίοις, οὔτ' ἰσηγορία, οὐδ' ἐν γραφαῖς ἅπαντα τὰ δίκαια τεταγμένα· ἀλλὰ τὸ μὲν ἀρχαῖον οἱ βασιλεῖς ἐφ' αὑτῶν ἔταττον τοῖς δεομένοις τὰς δίκας, καὶ τὸ δικαιωθὲν ὑπ' ἐκείνων, τοῦτο νόμος ἦν. Ὡς δ' ἐπαύσαντο μοναρχούμενοι, τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν ὑπατεύουσιν ἀνέκειτο τά τ' ἄλλα τῶν βασιλέων ἔργα καὶ ἡ τοῦ δικαίου διάγνωσις, καὶ τοῖς ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ὁτουδήτινος ἐκεῖνοι τὰ δίκαια οἱ διαιροῦντες ἦσαν. Τούτων δὲ τὰ μὲν πολλὰ τοῖς τρόποις τῶν ἀρχόντων ἀκόλουθα ἦν, ἀριστίνδην ἀποδεικνυμένων ἐπὶ τὰς ἀρχάς· κομιδῇ δ' ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι διὰ τὰς ἐν ἄστει διατριβάς.**) Propterea duodecim tabulae, praeter constitutionem reipublicae et ius criminale, imprimis iurisdictionem accuratius circumscripserunt atque deciderunt, si quid aut dubium videretur aut in patribus aliter observaretur atque in plebe.

Plerique hodie opinantur, legibus duodecim tabularum latis, leges regias non amplius valuisse; quam opinionem falsam esse demonstraturi contrariam defendimus sententiam: nonnullas quidem leges regias esse sublatas, universas vero non abrogatas, sed suppletas, ita ut ipsae etiam postea iuris fontem efficerent ab illis diversum. Ne ad veterum auctorum silentium provocem, qui nunquam diserte referant, leges regias esse abrogatas, (Pomponius enim, cui hoc vulgo tribuitur, non dixit): qui earum reliquias nobis servarunt, plerumque addunt, hanc illamve legem suo etiam tempore valere.**) Deinde quovis fere tempore causas ex legibus

---

*) Eundem iuris statum etiam decem post annis fuisse, docent tribunorum rogationes de legibus novis scribendis: „*C. Terentillus Arsa*, inquit Livius (III. 9), *tribunus plebis eo anno fuit; is consulibus absentibus, ratus locum tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies Patrum superbiam ad plebem criminatus, maxime in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberae civitati, invehebatur: Nomine enim tantum minus invidiosum, re ipsa prope atrocius, quam regium, esse. Quippe duos pro uno domino acceptos, immoderata, infinita potestate: qui, soluti atque effrenati ipsi, omnes metus legum omniaque supplicia verterent in plebem. Quae ne aeterna illis licentia sit, legem se promulgaturum, ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Quod populus in se ius dederit, eo consulem usurum: non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros.*“

**) Dionys. II. 25. III. 22.

regiis esse actas reperimus. Romuli legem de vino mulieribus non bibendo liberae etiam reipublicae temporibus ipsoque septimo urbis seculo esse observatam, exemplis docent Plinius, Gellius et Valerius Maximus.*) Quid, quod Cornelius Cossus, homo plebeius, non multo post leges XII tabularum latas et ante urbem a Gallis direptam (319. U. C.) ex lege Numae spolia opima Marti dedicavit? Quem honorem cum patricii ei inviderent, ipse de eo cogitare non potuisset, nisi lex publice proposita ei innotuisset.**) Ipse Cicero causas dixit ex legibus regiis. Eiusmodi est causa Rabiriana, in qua agenda ad legem regiam provocaverat accusator. „*Namque haec tua,* ait Cicero (c. 4), *quae te hominem clementem popularemque delectant: I LICTOR, COLLIGA MANUS, non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompilii: Tulli Hostilii****), *superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina: quae tu homo lenis ac popularis, libentissime commemoras: CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO. Quae verba, Quirites, iam pridem in hac republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.*“ Hoc ipsum, quod Cicero contendit, hanc legem lege Porcia et Cornelia esse obrogatam, docet, eam antea valuisse. Neque eius adversarius ad legem provocare potuisset, quam nullo reipublicae tempore valuisse omnes scirent. Atque exstant exempla. T. Sempronius Gracchus et C. Claudius, censores, a P. Rutilio, tribuno plebis, propter nimiam severitatem A. U. 584 perduellionis sunt accusati.****) Sexti quoque Roscii causam ex lege regia eaque Servii Tullii esse dictam suspicor, probare tamen non possum.*****) Cicero legem antiquissimam, non regiam

---

*) Plin. H. N. XIV. 14. Gell. X. 23. Val. Max. II. 1. 5. VI. 3. 9.

**) Liv. IV. 20. Serv. ad Virg. Aeneid. VI. 859.

***) Ita esse scribendum, non *Tarquinii*, quamquam omnes exhibent codices manuscripti et libri editi, minime est dubium. Cf. Liv. I. 26. Cuncti, qui exstant codices, descripti sunt ex uno eoque valde lacerato. Depravationis causam habeo, quod hunc regem crudelissimum et superbissimum appellavit, quibus verbis Tarquinius secundus significari solitus erat.

****) Val. Max. VI. 5. 3. Aur. Vict. Illust. vir. c. 57. Festus s. v. Religionis p. 234.

*****) Obstat Valerii Maximi locus (I. c. 1. 13), ubi exstat, illud supplicii genus, ut culeo insutus in mare abiiceretur is, qui patrem necasset, post Tarquinii Superbi demum tempora esse irrogatum. Sed et lectio incerta est, et contrarium significat Dionysius (IV. 62).

appellavit.*) De parricidio autem exstant Romuli, Numae, Tulli Hostilii et Servii Tullii leges; hanc de parentis caede legem ad Servium Tullium retulerimus, quia Romuli non esse traditur**), Servii autem alias quoque leges de cognatorum iniuriis fuisse scimus.***)

Ne quis suspicetur, leges regias omnes, quae postea in usu manserunt, diserte in duodecim tabulis fuisse repetitas, et historicorum et iureconsultorum auctoritatem appellamus, qui et utrumque genuinum iuris fontem agnoscant, neque minus ad leges regias, quam ad duodecim tabulas provocent. Ita Lucius Valerius apud Livium de lege Oppia abroganda (XXXIV. 6) in solemni oratione: „*An vetus,* inquit, *regia lex simul cum ipsa urbe nata? An, quod secundum est, ab decemviris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta?*" Tacitus quoque leges duodecim tabularum ita ad leges regias refert, ut alteras alteris suppletas, non abrogatas eum credidisse appareat. „*Pulso Tarquinio,* inquit (Ann. III. 27), *adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae; creatique decemviri et accitis, quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris.*" Hunc finem respicere credimus ad initium, quod Romulus fecerat. Quamquam fuerunt inter leges regias, quae in duodecim tabulis repeterentur****), tamen plurimae ab iis omnino distinctae sunt. Ita Paulus*****) et Marcellus******) ad leges regias provocant, idemque facit Papinianus*******) de patris in filium vitae necisque potestate, quam legem in duodecim etiam tabulis constitutam scimus.

Hanc legum regiarum historiam mente perlustrantes non possumus non summopere mirari, quod Dirksenius non dubitat, sed omnino negat (p. 237), ante duodecim tabulas legum regiarum collectionem esse factam, eamque, si fuisset, urbe a Gallis incensa, potuisse servari. Ut hanc sententiam suam tueatur, incusat incuriam Pomponii, cuius fidem satis defendisse nobis videmur, Dionysium vero, qui

---

*) Pro Roscio Amerino c. 25.

**) Plut. Romulus c. 22.

***) Festus s. v. Plorare p. 203.

****) Cf. Fragm. I. VI. et VII. inter leges Romuli in Dirksenii collect.

*****) Lib. X. ad legem Iuliam et Papiam. l. 144. D. de V. S. (L. 16.)

******) Lib. XXVIII. Dig. L. 2. D. de mortuo infer. (XI. 8.)

*******) Lib. sing. de adulteriis. Coll. legg. Mosaic. Tit. IV. §. 8.

multorum instar est, et Livium non curat, quamquam ille in legum illarum historia diligentissime persequenda Pomponio omnino assentitur, hic vero, cum urbs a Gallis incensa esset, eas servatas et in vulgus editas esse diserte memoriae prodidit: „*Inprimis*, inquit (VI. 1), *foedera ac leges (erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges) conquiri, quae comparerent, iusserunt* [*tribuni militares consulari potestate*]: *alia ex eis edita etiam in vulgus: quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa.*" Facile hoc loco induci possemus, ut etiam ius Papirianum atque duodecim tabulas crederemus esse diminutas, quaeque ex iis ad sacra pertinerent, suppressa. Sed perpenso, utrumque legum genus omnibus tum fuisse notum, quamque exigua fuerint haec monumenta, comparata cum tanta librorum mole, quam non minus tum servatam noverimus, multo verisimilius, ne dicam, certum est, sacerdotum libros, fastos, regumque commentarios in pontificum penetralibus tum, ut antea, esse retentos.*) Eoque studiosius hi libri tum custodiendi erant, ex quibus Annales Maximos atque, ni fallor, etiam ipsos pontificum commentarios incendio consumptos instaurare deberent. Quod autem etiam postea de iuris mysteriis fabulantur**), hoc non nisi ad iudiciorum usum agendique peritiam pertinet: ipsum ius Romae nunquam fuisse occultatum, tota Romanorum clamat historia. Itaque tantum abest, ut Dirksenii probemus sententiam, ius Papirianum aetate demum seriore a pontificibus e libris sacris esse excerptum et Papirio, quem regibus exactis floruisse scirent, suppositum, ut hoc ne fieri quidem posse, contendere audeamus. Sacrorum enim libri etiam ante duodecim tabulas, cum integri superessent, ne tum quidem multa continuerunt, quae ad ius pertinerent. *Κομιδῇ δ᾽ὀλίγα τινά*, inquit Dionysius (X. 1), *ἐν ἱεραῖς ἦν βίβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι διὰ τὰς ἐν ἄστει διατριβάς*. Quodsi illo tempore in libris sacris paucae exstabant leges, quas ex parte quidem in duodecim tabulas receptas scimus***), quid legum in sacrorum libris latere potuit, qui, urbe a Gallis incensa, essent aut servati aut instaurati? Fere nihil in iis esse repertum, iuris Flaviani ratio docet.

---

*) Dionys. III. 36. Livius IV. 3. Canuleius „*Obsecro vos*, patricios alloquitur, *si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur* etc."

**) Dirksen l. l. p. 238. Zimmern Vol. I. §. 27. p. 89.

***) Cic. de Legg. II. c. 19—23.

Hoc ipsum exemplo est, quam caute in testimoniis auctorum perpendendis sit agendum. Etenim si de eo praeter Livium nemo quidquam tradidisset, tota iuris historia perturbata esset: „*Ius civile*, refert Livius (IX. 46, ad A. U. 449), *repositum in penetralibus pontificum evulgavit* [*C. Flavius*].“ Quis hoc legens non de legibus regiis vel duodecim tabularum cogitaret, nisi alii scriptores diligentius memoriae prodidissent, ius Flavianum nihil nisi legis actiones continuisse, ab Appio demum Claudio paullo ante litteris mandatas.*) Idem cum etiam fastos publice proponeret, si quid maioris momenti reconditum esset, hoc minime occultasset. Ceterum quae scripta tum etiam in penetralibus pontificum latebant, cum (A. U. 454) lege Ogulnia plebeiis quoque ad collegium pontificum aditus patefieret, non amplius supprimi potuerunt. Neque tamen quidquam arcani, quod proderet, reperit Tiberius Coruncanius, primus e plebe pontifex, qui et ipse primus de iure publice respondit.**)

Restat, ut pauca addam de Granio Flacco, cuius auctoritati nomen iuris Papiriani deberi suspicor, etenim ante eum nemo, post eum Macrobius, Paulus et Pomponius de legibus regiis hoc nomine utuntur. „*Granius Flaccus*, inquit Paulus***), *in libro de iure Papiriano scribit pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui uxor sit, corpus misceat; quosdam eam, quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam* παλλακὴν *Graeci vocant*.“ Quae verba pertinent ad legem Numae, quam servavit Festus s. v. *Pellices*. Ex eodem Flacci libro depromptum esse, quod apud Macrobium exstat (Saturn. III. 11) de mensa in templo Iunonis Populoniae, Dirksenio****) aliisque assentior, quamquam ex ipso iure Papiriano depromptum dicitur. Quae praeterea ex scriptis Granii Flacci supersunt fragmenta, utrum ad hunc de iure Papiriano librum referenda sint, an ad illum, quem de Indigitamentis, teste Censorino (de Die Natali III. 2), ad Caesarem scriptum reliquit, investigare longum est atque ab hoc loco alienum. Illud autem pro certo affirmaverim, librum

---

*) Pomponius Enchir. L. 2. §. 7 et 36. D. de O. I. (I. 2.) Cf. Hugo Rechtsgeschichte Ed. 9. p. 375. Zimmern I. §. 72. p. 261.

**) Zimmern. I. §. 53. p. 193. §. 68. p. 249. §. 72. p. 268.

***) L. 144. D. de Verb. Sign. (L. 16.)

****) L. l. p. 280.

de Indigitamentis ad ius Pontificium pertinuisse ideoque diversum fuisse ab illo, quem de iure Papiriano scripsit.*)

Quod ad singulas singulorum regum leges attinet ad Dirksenii subtile iudicium provoco: si quid est maioris momenti, de quo ab eo dissentiam, hoc paucis indicabo, ubi de singulorum regum commentariis disseram. Quos priusquam examini subiiciam, praemonendum duxi, discrimen aliquod obtinere in legibus regiis afferendis. Iurisconsulti enim nunquam regis nomen addunt, sed aut legem regiam nuncupant, non accuratius significatam, aut ius Papirianum, historici vero et grammatici plerumque certi cuiusdam regis nomen adiungunt. Inde collegerim, utrosque diversis monumentis usos esse; iureconsultos, qui usum spectarent, collectione a Papirio facta, quae regum nomina omisisset, ceteros, qui rerum cognitionem curarent, ipsorum regum commentariis, qui inter alia etiam ius privatum continerent.

Neque id est negligendum, praeter ipsas leges tradi exempla, quae aut legi condendae occasionem dederint, aut in quibus puniendis primum exercitae sint. Si exemplorum vim in iurisprudentia Romana spectamus, illud prius veri est similius, haec exempla ipsis legibus esse antiquiora, ipsaque effecisse, ut leges conderentur, sive in commentariis regum exstiterint, sive in carminibus sint memorata. Certo ad diversas earundem legum recensiones, quas fuisse historici referunt, etiam ipsa reliquiarum conditione ducimur. Ab Anco, quantum e Dionysii et Livii testimoniis agnosci potest, instituta priorum regum omnia sunt retenta novaque quaedam addita. Tullus pauca adiunxit, Servius autem, cum totam reipublicae constitutionem novaret, ea, quae ex prioribus servanda putabat, cuncta, maxime, quae ad ius privatum pertinerent, denuo recensuisse videtur. A Papirio denique ius tantum privatum sacrique iuris partem esse conditam, et veterum scriptorum loci produnt, et reliquiae affirmant. Itaque tres institutorum Romanorum recensiones fuisse arbitramur, Anci Marcii, Servii Tullii atque Papirii; an instituta publica Romuli et Numae Pompilii peculiaribus libris servata fuerint praeter illos, in quibus recognita fuerint necesse est, dubitamus; sacrorum vero libri, non minus, qui Romulo et Numae, quam qui Tullo Hostilio adscribebantur, superstites erant.

---

*) Zimmern I. §. 27. p. 89. §. 81. p. 303. Cf. Serv. ad Virg. Georg. I. 21. „*Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri.*“ — „*Nomina haec numinum in Indigitamentis inveniuntur, id est. in libris Pontificalibus.*“

III.

De commentariis regum.

Universa regum facta et instituta, quae non e carminibus sunt deprompta, foedera, iura sacra, publica atque privata, in eorum commentariis censeo fuisse contenta. Commentarios enim antiquitus nominatos reperimus libros quoscunque soluta oratione scriptos. Neque singuli tantum singulorum regum commentarii, sed unius interdum plures memorantur, diversis inscriptionibus distincti. Itaque eorum regum, qui multa instituerant, videmus alia opera amplexa fuisse leges privatas, alia constitutionem reipublicae, alia res sacras. Fieri etiam potuit vel certo factum est, ut plurium regum commentarii ad unum idemque institutum, e. g. ad ius belli et pacis, pertinentes uno libro coniungerentur.*) Nam sua quisque magistratus scripta habuit, sua quodque sacerdotum collegium.

In tanta monumentorum copia minime est mirandum, paucis tantum hominibus ad cuncta aditum patuisse, neque omnes, quibus liceret, cunctis etiam usos esse. Inde maximae in historia regum discrepantiae. Etenim quae posteriores reges a prioribus accepta mutarant, haec cum quasi nova proponerent, primi instituisse videri potuerunt iis, qui non diversa monumenta bene examinata inter se compararent. Accedunt carmina monumentis publicis non ubique congrua, quae, cum in vulgus nota essent, facile maiorem auctoritatem sibi arrogare, saltem maiorem fidem habere poterant, quam monumenta publica.

Ne ipse ullam dubitandi rationem praetermittam: tamne prisco tempore Romae tanta scribendi facultas et exercitatio fuit? tanta copia materiae, in qua scriberent? Ipsa Latina lingua arguit, Romanis antiquitus fuisse artem, aliis nationibus ignotam, ex cortice arborum fabricandi pannos, in quibus scriberent. Inde vocabula *charta*, *liber*, *codex* sunt denominata. De hac antiqua Romanorum charta si cogitasset Plinius (XIII. 21 — 27), non Varronem vituperaret, quod retulisset, Alexandri demum Magni tempore chartam papyraceam Romam venisse. Charta e cortice arborum facta Plinii aetate tam neglecta tamque contempta videtur fuisse, ut eam aequo minus curaret, quamquam alii scriptores tradunt, non modo

*) Cic. de Offic. I. 11. §. 36.

a principio Romanos ea usos esse, sed etiam sub imperatoribus.*) Miror a nullo esse observatum, cum voces illae indigenae chartae corticeae inventionem vindicent Romanis, frequentem etiam chartae usum fuisse oportere et magnam scribendi exercitationem. Itaque cum litterae tabulis aeneis incisae ex illa aetate superessent non rarae**), cum saepius tabulae ligneae memorentur, quibus litterae insculptae essent***), sane non video, cur dubitemus, tot tantaque litterarum monumenta et regum temporibus facta esse et diu servata.****)

§. 1.

De Commentariis Romuli.

Romuli instituta multa legesque non paucae referuntur, licet nec tabulam Marlianam genuinam habeamus, neque eas leges recipiamus, quas Dirksenii subtile iudicium non merito ei attributas vult. Leges vero in iis monumentis, quae Dionysius est secutus, non a ceteris institutis omnino separatas fuisse, inde iam satis apparet, quod quae de patria potestate*****) officiisque clientium******) praecepta iure Dirksenius inter leges recepit, ea apud Dionysium leguntur, ubi de constitutione reipublicae disserit (II. c. 5—17). Accedit, quod idem Dionysius a rebus sacris (c. 18—23) et iure privato (c. 24—27) expositis orationem rursus reflectit ad ius publicum.

Gravissimum censemus, quod non Romuli tantum memorantur leges, sed etiam Romuli et Titi Tatii*******), qua re luculentum temporum discrimen nanciscimur. Itaque eius Romuli, qui cum Tito Tatio pactus est, personam historiae luci vindicare audemus, quamquam quae Romuli regno ante hoc foedus tribuuntur,

*) Ulpianus l. XXIV. ad Sabin. l. 52. pr. D. de leg. et fideic. (XXXII). Hieronymi Epist. 8. n. 1. Isidor. Origg. VI. 13. 3. Cf. Forcellini Lex. s. vv. Charta et Liber.

**) Dionys. Halic. IV. 26 et 58. Fest. s. v. Clypeus.

***) Dionys. III. 36. IV. 43. Suet. Vespas. 8.

****) Cf. quae infra de arte scribendi monuimus §. 2. et C. G. Nitzsch Meletemata de Hist. Homeri c. 9 et 10.

*****) Dirksen Fr. VI. Dionys. II. c. 26 et 27. Coll. Legg. Mosaic. et Rom. T. IV. §. 8.

******) Serv. ad Virg. Aeneid. VI. 609, ubi vulgo legitur: „*Ex lege XII Tabularum*", Merula autem teste (de legibus Romanorum c. 1. §. 1.) in uno codice manuscripto exstat: „*Ex lege Romuli et XII tabularum.*"

*******) Festus. s. v. Plorare p. 203: „*In regis Romuli et Tatii legibus:* SI NURUS *etc.*

cuncta non vere in unius hominis vitam esse coarctata concedimus. Duplicem igitur vel triplicem distinguimus Romuli significationem. Hac enim voce intelligendam iudico primo civitatem Palatinam*) inde a primordio, tum eandem civitatem ab ea aetate, qua, veteri Palatii urbi vallibus proximis additis**), Romaeque appellatione usurpata, reges hoc communi nomine Romuli videntur esse ornati, sicuti Albanorum reges Sylvii nuncupati sunt***), tertio denique loco horum regum ultimum, qui cum Sabinis debellasse et, societate inita, urbem duplicasse dicitur.

Ex ea commentariorum parte, quae res a Romulo ante hanc societatem gestas exposuit, etiam Fastorum, qui illi tribuuntur, notitiam esse depromptam censemus, cum Romanorum menses a Sabinis receptas esse Plutarchus narret (Vit. Romul. c. 21). Cum decem menses, trecentos autem dies anno a Romulo adsignatos videret Niebuhrius****), sagacissime coniecit ad dierum numerum trecentas gentes esse constitutas.*****) Sed non animadvertit vir doctissimus, quibus se difficultatibus implicaret, cum idem putaret, tribuum, curiarum, gentium numerum Tarquinii demum Prisci tempore completum, quamquam omnes uno ore tres tribus iam a Romulo esse factas narrant.******) Recte quidem vidit, quod de numero senatorum deinceps aucto traditur, non convenire tribuum rationi, si a principio tres fuissent. Sed tribus additas nemo narrat, quot vero quoque tempore senatores fuerint, quod ei argumentationis fundamentum est, id non convenit inter historicos. Qui cum reperissent, vel a Tullo Hostilio vel a Tarquinio Prisco centum senatores seu ex Albanis seu ex plebe esse electos*******), suspicati

---

*) Quam alii ab Evandro conditam esse tradunt, alii a Romulo. Festus s. v. Quadrata Roma p. 220 et Interpretes ad hunc locum p. 624. Niebuhr I. p. 97 et 319.

**) Tacitus Annal. XII. 24.

***) Serv. ad. Virg. Aeneid. VI. v. 770. Fest. s. v. Sylvii. p. 262.

****) Plutarch. Num. c. 18. Censor. de Die nat. 20. Macrob. I. 12. Joan. Lydus de Mensibus. I. 14—16.

*****) Niebuhr I. 306 et 376. Curiarum numerus aequalis est dierum numero, qui cuique mensi erat adsignatus; triginta etiam decuriae erant senatus: ad mensium autem numerum decem sacerdotes in iis collegiis, quae a Romulo instituta esse dicuntur.

******) C. O. Müller. Die Etrusker. I. p. 383.

*******) Liv. I. 30. 35. Dionys. III. 31. 67.

sunt, antea ducentos tantum fuisse; cumque cognovissent, etiam Sabinos in senatum receptos, posuerunt centum modo a Romulo esse institutos, centum e Sabinis cooptatos. Haec historicorum coniectura verum tenebris obruit. Nam in commentariis regum rem aliter fuisse adumbratam, etiam hodie agnoscere possumus. A principio, saltem antequam cum Sabinis foedus ictum esset, ad gentium numerum trecentos fuisse senatores contendo. Si, Dionysio teste (II. 47), pauci historicorum quinquaginta tantum Sabinorum senatui esse additos tradiderunt, hoc excogitatum est, ut centum et quinquaginta senatorum numerus efficeretur, quem et ipse Plutarchus pro totius senatus numero habet; sed iis, quae apud Dionysium (II. 57 et 62) et Livium (I. 17) de interregno leguntur, bene perpensis eo redigimur, ut statuamus, interreges e veteribus tantum Romanis senatoribus esse electos*), hosque fuisse centum et quinquaginta. Trecentos igitur colligo a principio fuisse senatores, centenis e quaque tribu lectis; quibus cum Sabinorum proceres adscriberentur, e Romanis centum et quinquaginta manserunt, totidemque e Sabinis sunt additi.**) Simili ratione cum Albani in civitatem reciperentur, sive per Tullum Hostilium, quod mihi videtur verisimilius, sive per Tarquinium Priscum, ducenti patres maiorum gentium sunt retenti, centum minorum ex Albanis additi. Horum regum exemplo Tarquinius Priscus e popularibus Tarquiniis centum quinquaginta in senatum recepit, totidem priscorum senatorum relictis.***) Ita cum saepius gentes, quae plures fuerant, in unum coniungerentur, inde familiarum origo est repetenda. Triplicem et decemplicem rerum Romanarum numerum ad antiquissima tempora pertinere, etiam Sacra Argeorum affirmant ipsius Romuli aetate multo antiquiora.****) Huic tempori si repugnare videtur, quod loca, ubi illa fiebant, extra urbem Palatinam sita esse dicuntur, de pagis est cogitandum, qui per montes dispersi in illa regione fuerint. Neque Numa, ad quem Argeorum sacra referuntur, eorum auctor esse potuit, quamquam, ut emendaret ea atque renovaret, vel litteris mandari iuberet, fieri potuit. Itaque si coloniam Graecam statuere

*) Niebuhrius hoc neglexit (I. p. 377.), quod apud Livium numerus indicat, centum, e quibus interreges sumpti sunt, senatorum; aliorum de turbis narrationes idem affirmant.

**) Quod Ioan. Lydus de Magistrat. I. c. 16 de triginta novis curiis accepit.

***) Aperte hoc testatur Cic. de Rep. II. 20: „*Duplicavit illum pristinum patrum numerum.*"

****) Varro L. L. V. 45. VII. 44. Dionys. I. 38. Liv. I. 32.

non licet, numerorum rationem ad cognationem retulerim, quae inter Romanorum et Graecorum patres obtinuerit.*)

Ipsius foederis, quod Romani cum Sabinis icerant, conditiones in Romuli commentariis fuisse scriptas crediderim: quae quidem ex parte ita sunt comparatae, ut poësi eas non deberi sit certum.**) Unam earum ab historicis neglectam operae pretium erit examinare. Sabinos in civitatem Romanam esse adscitos, Cicero et Dionysius consentiunt.***) Neque vero aut veterum aut recentiorum quisquam quaesivit, fuerintne apud Sabinos iidem civium ordines, qui apud Romanos, quod, cum mores utriusque populi diversos fuisse audiamus, etiam si testes non essent, potius negarem, quam affirmarem. Itaque si de hac re testimonium nobis se praebet, huic eo facilius fidem praestabimus. Atque iacet neglecta narratio, quae aliquid lucis historiae Romanae impertiat. Apud Virgilium (Aen. VII. v. 706—9) leguntur haec:

„Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar:
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.“

Ad ultima verba haec adscripsit Servius: *„Hoc de alia traxit historia. Nam post Sabinarum raptum et factum inter Romulum et Titum Tatium foedus recepti in urbem Sabini sunt: sed hac lege, ut in omnibus essent cives Romani, excepta suffragii latione. Nam magistratus non creabant.“* Illi Sabinorum hic non significantur, qui in senatum sunt recepti, quorumque gentes patriciis adscriptae, neque de clientibus est cogitandum, qui tum vix civium nomine sunt dignati; tertium civium ordinem ab utrisque diversum, qui liber quidem esset, sed imperii non particeps, accipi oportet. Conditio vero, quae Sabinis data esse dicitur, non alia est atque plebis. Hinc igitur originem repetiverim plebis, quae et ipsa semper Quiritium nomine est salutata.****) Hac coniectura accepta, multae e Romanorum historiae evanescunt difficultates magnaque repugnantia.

---

*) Cf. K. D. Hüllmann Römische Grundverfassung, p. 81.

**) Dionys. II. 46.

***) Cicero de Rep. II. 7. Dionys. II. 47. Non tamen subito post primum congressum populos tam arcte esse coniunctos, sed postea demum, Niebuhrio (I. p. 324) libenter concedo.

****) Aliquid commune esse plebi atque Quiritibus, etiam Niebuhrius cognovit, sed non satis perspexit (I. p. 325 sqq.).

Ita intelligimus, fieri potuisse, ut plebis iam Romulo regnante mentio fieret, ut populus Romanus in solemnibus formulis a maiore parte appellaretur Quirites, et si quid cum exteris nationibus pacisceretur, hoc populi Romani et Quiritium nomine pronuntiaretur. Ius autem civile totum cum ius Quiritium sit nuncupatum, hoc non nisi de eius origine, a Sabinis repetenda, intelligi potest. Omnes enim qui postea in civitatem sunt recepti, eandem conditionem nacti sunt, quam tum medius quidam primorum Quiritium ordo. Itaque usu venit, ut, qui publici iuris vinculo erant coniuncti, eodem etiam iure privato uterentur.*) Inde ius privatum patriciorum et plebis, postquam aequatum est, sive legibus iam regiis sive duodecim demum tabulis factum est, totum a parte principali iuris Quiritium nomen retinuit. Magnam vero iuris privati partem Sabinis deberi, certum est; etenim quae de rudibus ferisque eorum moribus traduntur, cum legis actionibus antiquissimis omnino congruunt (Serv. ad Virg. Aen. VIII. v. 637). Ita iudicium centumvirale, cuius insigne erat hasta, a Sabinis *quiris* nuncupata (Fest. s. v. Quirinus p. 217), omnesque actus legitimi, in quibus hasta adhibebatur, a Sabinis sunt repetendi. Eiusdem originis censeo esse totum ius dominii, vindiciarum litem et veterem in ius vocandi usum.

Si apud Sabinos ordo hominum erat, qui medium teneret inter patricios et clientes, neque amplius difficultatem praebet, quod, cum Appius Claudius Romam migrasset, inque civitatem esset receptus, simul plebi tota tribus est addita, a duce Claudia appellata; imo hac ipsa re, quod coniecimus de plebis origine vel potius e tenebris in lucem protraxisse nobis videmur, fortius etiam affirmatur. Clientes enim eo tempore in tribubus nondum fuisse, a Niebuhrio probatum accipimus (I. 654 sqq.). Ita Livii quidem narratio (II. 16) magna difficultate laborat, quae tribus mentionem faciat et tribulium novorum, eos vero a clientibus non diversos fuisse, male affirmet. Quam difficultatem ut solveret, Niebuhrius (I. 621) contendit tribum vicesimam primam non esse Claudiam, sed Crustumeriam. Sed coniectura omnino non est opus; hic quoque Servius auxilio est, qui ad Virgilii locum, de quo diximus, profert etiam haec: „*Clausus Sabinorum dux post exactos reges cum quinque millibus clientum et amicorum Romam venit et susceptus habitandam partem urbis accepit: ex quo Claudia et tribus est et familia nominata.*“ Qui enim

*) Discrimen, quod obtinet inter civitatem Romanam et ius Quiritium, docte exposuit Andr. Gu. Cramerus. Kiliae 1803.

amicorum nomine et a clientibus et a gente distinguuntur, medium inter utrosque tenuerint oportet. Ne quis vero putet, amicorum nomen non secundum antiqua monumenta exhiberi, sed incuriae scriptoris deberi, praetermittere non possum, etiam Dionysium (V, 40) eorum ita facere mentionem, ut aperte a clientibus non minus, quam a gentilibus distinguantur: *Τίτος Κλαύδιος αὐτομολεῖ πρὸς αὐτούς, συγγένειάν τε μεγάλην ἐπαγόμενος καὶ φίλους καὶ πελάτας συχνοὺς αὐτοῖς μεταναστάντας ἐφεστίοις, οὐκ ἐλάττους πεντακισχιλίων τοὺς ὅπλα φέρειν δυναμένους.*

Quamquam in universum Dirksenio adsentior, multa inter leges Romuli esse relata, quae aut ab hoc rege aliena sint, aut ad ius privatum non pertineant, tamen leges huius regis finibus nimis arctis ab eo circumscriptas censeo. Quas enim leges Aurelius Victor (de Vir. Illustr. c. 7) de pomoerio, Plutarchus (Romul. c. 22) de reverentia matronis praestanda, Festus (s. v. *Probrum*) et Dionysius (II. 9) de Vestalium stupro, Festus (s. v. *Parrici*), Tacitus (Annal. XI. 22) et Plutarchus (Romul. c. 22) de quaestoribus parricidii seu duumviris perduellionis instituendis, Cicero denique (de Rep. II. 9) de mulctis aut diserte Romulo tribuunt, aut ita describunt, ut, aliis testimoniis collatis, ad eum referri debeant, eas non modo ad principia civitatis Romanae pertinere, neque in Romuli tantum Commentariis fuisse, sed cum regibus etiam exactis valerent, in iure Papiriano esse repetitas arbitror. De clientela quoque, matrimonio atque patria potestate, si non verba curamus, sed res, alia etiam praecepta ad Romulum iure referri possunt, atque quae Dirksenius concessit.

§. 2.
De commentariis Numae Pompilii.

Numae commentarios plures neque parvos exstitisse, non dubitamus. Quos si integros haberemus, de antiquissima rerum Romanarum et Graecarum conditione et nexu reique publicae Romanae commutationibus multo certius iudicare possemus. Perpendentibus enim, ter eius instituta esse recognita vel recensita et mutata, per Ancum Marcium, Servium Tullium et Papirium, occurrit discrimen, quod intercessit inter ea, quae ex eius legibus etiam libera republica observabantur, illaque, quae antea aut usu aut legibus erant sublata. De hisce rursus oritur quaestio, utrum quaeque eorum recognitio integra fuerit servata, an unius tantum regis vel duorum, tum etiam, utrum ipsius Numae, an aliorum tantum. Numae

commentarii a iure Papiriano diversi quin ad posteros pervenerint, dubium non est, quia eadem lex et ex ipsius commentariis et ex legibus regiis i. e. ex iure Papiriano citatur.*) In his commentariis et sacra instituta fuisse et iura privata, Cicero docet, qui ipse eos legerat. „*Idemque Pompilius*, inquit (de Rep. II. 14), *et, auspiciis maioribus inventis, ad pristinum numerum duo augures addidit, et sacris e principum numero pontifices quinque praefecit, et animos, propositis legibus his, quas in monumentis habemus, ardentes consuetudine et cupiditate bellandi, religionum caeremoniis mitigavit: adiunxitque praeterea Flamines, Salios, virginesque Vestales, omnesque partes religionis statuit sanctissime.***)

Quamquam accepimus, Numae commentarios a Tullo Hostilio primum neglectos, postea requisitos et ad sacra facienda adhibitos esse***), tamen ipsos ad posteros

---

*) Lex est de spoliis opimis, apud Festum (s. v. Opima, p. 190.) servata, cui praemittuntur haec: „*Esse etiam Pompilii regis legem opimorum spoliorum talem*“ etc. Apud Plutarchum vero (Marcell. c. 8.) de eadem lege haec leguntur: *Καίτοι φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νουμᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων καὶ δευτέρων καὶ τρίτων μνημονεύειν.* Dirksenius l. l. p. 238 ex hoc consensu arguere voluit, ius Papirianum ex libris pontificum esse compilatum: quod quomodo inde effici possit, equidem non video. Huic sententiae praeter illa, quae de libris pontificum iam dixi et infra exponam, adversatur, quod non modo hanc ipsam legem observatam reperimus ab A. Cornelio Cosso ante urbem a Gallis captam, A. U. 318 (Liv. IV. 20 et 32), sed etiam Festus aperte distinguit, quae in libris pontificum, quaeque in legibus Numae legebantur: „*Ad aedem Iovis Feretrii*, inquit, *poni, testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: PRO PRIMIS SPOLIIS BOVE, PRO SECUNDIS SOLITAURILIBUS, PRO TERTIIS AGNO PUBLICE FIERI DEBERI; esse etiam Pompilii regis legem opimorum spoliorum talem.* Ultimus hic accusativus cum infinitivo, ut primus, pendet a verbis, quae Festus plerumque omittit: *Verrius Flaccus ait*, accusativus cum infinitivo, qui intermedius est, a verbis: *in quibus sit.* Neglexit Dirksenius locum Servii de Romulo, Cosso atque Marcello (ad Aen. VI. 859) ubi eadem Numae lex affertur. Si Livium quoque (I. 10.) respicimus et, quae Servius de Cosso refert, cum Livii narratione (IV. 20.) conferimus, Romuli commentarios de hac re ab illis Numae dissensisse discimus. Livii de Romulo narrationi consentientem legimus inscriptionem Pompeianam apud Gu. Gellium, Anglum, in eius libro Pompeiana inscripto, Londini 1832 Vol. I. p. 25.

**) Cf. V. 2. „*Illa autem diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit, qui legum etiam scriptor fuisset, quas scitis exstare.*“

***) Liv. I. 32. Dionys. III. 35.

pervenisse incolumes, affirmare non ausim. Anci vero recognitionem (ita enim appellare malim, quam recensionem, quia nihil vel pauca esse mutata censeo), fuisse superstitem, demonstrare studebo. Ne nimium tribuere videar Dionysio, qui, cum Papirium ea usum esse referat (III. 36), utraque monumenta inspexerit et inter se contulerit, oportet: nonnulla nobis quoque nota sunt e Numae institutis, quae in Servii quidem recensione non fuisse potuerunt, nedum in iure Papiriano. Quae enim a Tarquinio Prisco in moribus et institutis Romanorum sublata sunt*), siquidem postea non rursus apparent, ut a Servio reciperentur, fieri non potuit. Sunt vero illa, quae Romani a Pythagora repetere solebant**): mystica quaedam et magnifica religionum ratio, Musae Tacitae cultus, leges denique, ne liceret Deorum simulacra facere***), sive hominum sive animalium formas haberent, neve sacra fierent Diis cruenta. Pythagoricae doctrinae in iis etiam libris Pontificalibus vestigia exstabant****), quos postea refictos docebimus.

Ab illis diserte distinxit Dionysius (II. 64—73) octo instituta sacra singulis libris exposita, quae (c. 63) hisce verbis amplectitur: *Περιλαβὼν δὲ ἅπασαν τὴν περὶ τὰ θεῖα νομοθεσίαν γραφαῖς, διεῖλεν εἰς ὀκτὼ μοίρας, ὅσαι τῶν ἱερῶν ἦσαν αἱ συμμορίαι.* Sacerdotum enim collegia a Numa aut primum instituta aut aucta suos quodque habebant libros, qui Numam habuisse auctorem credebantur.*****) „*Pontificem deinde*, inquit Livius (I. 20), *Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis sub-*

---

*) Cic. de Rep. II. 19 sqq. K. O. Müller Etrusker I. p. 118 et 363 sqq.

**) Cic. de Rep. II. 15. Livius I. 18. Dionys. II. 59. Plut. Num. 8. 13. 14. Plin. H. N. XVIII. 2.

***) Haec lex maximi est momenti: uno enim ore scriptores tradiderunt, a Tarquinio demum Prisco prima Deorum simulacra Romam esse introducta. Praeter Plutarchum hoc factum exhibent Varro apud August. de Civ. Dei IV. 31. Plin. H. N. XXXV. 5. 44 et 45, atque Macrob. Saturn. III. 4.

****) Serv. ad. Virg. Ecl. V. 66. „*Numero deus impare gaudet.*" — „*Quod etiam pontificales indicant libri.*"

*****) Festus (s. v. Nectere) affert commentarios sacrorum; eodem auctore (s. v. Molucrum p. 168) Cloatius Verus sacrorum libros scripsit, sicuti Trebatius de religionibus, teste Macrobio Sat. II. c. 5 et 7.

iecit; ut esset, quo consultum plebes veniret; ne quid divini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur. Nec coelestes modo caerimonias, sed iusta quoque funebria placandosque Manes, ut idem Pontifex edoceret; quaeque prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, susciperentur atque curarentur: ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quae suscipienda essent." Hos libros, quos etiam Cicero (de Rep. II. 14) respicit, Gellius (X. 15. et XIII. 22) tum in genere sacerdotum appellat, tum ad singula collegia refert, Servius autem sacrorum appellat (ad Aen. IX. 408).*) Quae de singulis Operibus exhibet Dionysius, excerpam, iisque aliorum scriptorum locos adiungam, non omnes quidem, sed eos tantum, qui sufficiant ad testimonium Dionysii confirmandum. De curionibus, a quibus initium capit (c. 64) haec leguntur: *Ἀπέδωκε δὲ μίαν μὲν ἱερουργιῶν διάταξιν τοῖς τριάκοντα Κουρίωσιν, οὓς ἔφην τὰ κοινὰ θύειν ὑπὲρ τῶν φρατριέων ἱερά.* De libro, qui eorum sacra describeret, aliunde mihi quidem nihil innotuit, quamquam ipsa Curionia sacra saepissime memorantur.**) Flaminum quoque scripta sacra Dionysius paucis indicat: *τὴν δὲ δευτέραν τοῖς καλουμένοις ὑφ' Ἑλλήνων Στεφανηφόροις, ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων Φλάμισιν.* Ex hisce multa servata sunt in commentariis a Servio ad Virgilii poëmata scriptis et apud A. Gellium, qui (X. 15): „*Caerimoniae,* inquit, *impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus.*" Tribuno vel tribunis etiam Celerum, tres enim erant secundum tribuum numerum, peculiarem tribuit librum: *τὴν δὲ τρίτην τοῖς ἡγεμόσι τῶν Κελερίων, οὓς ἔφην ἱππεῖς τε καὶ πεζοὺς στρατευομένους φύλακας ἀποδείκνυσθαι τῶν βασιλέων· καὶ γὰρ οὗτοι τεταγμένας τινὰς ἱερουργίας ἐπετέλουν.* Neque de hoc scripto alibi quidquam legimus, quamquam, cum ceterorum scripta fuisse multi testentur, neque de hoc dubitandum censeo. De libris Auguralibus, quos quarto loco recenset, multi afferuntur veterum loci, quare neque Dionysii verba adscribo.***) Vestae cultum

---

*) Wachsmuth p. 218 ipsa sacra Numa Pompilio antiquiora putat.

**) Fest. s. v. Curia p. 37. Curionia sacra p. 47 et Novae curiae p. 183.

***) Gellius XIII. 14. Serv. ad. Aen. IV. 45. IX. 20. De iis scripserunt Serv. Fab. Pictor (Non. s. v. Picumnus), Appius Pulcher (Festus s. v. Sollistimum p. 242), Cicero (Serv. ad Virg. Aen. V. 737) et Veranius quidam (Festus s. v. paludati p. 216).

scriptis legibus commendatum esse virginibus, etiamsi hoc Dionysii non exstaret, cum disciplinae huius saepius mentio fiat, inde sumendum esset. Ut Gellii (I. 12) testimonio dubia reddatur horum librorum antiquitas, tantum abest, ut eo fides eis praestanda etiam augeatur. „*De more autem*, inquit, *rituque capiundae virginis litterae quidem antiquiores non exstant, nisi quae capta prima est, a Numa rege esse captam. Sed Papiam legem**) *invenimus.*“ De ceteris enim partibus huius cultus litteras antiquas exstitisse, inde sequitur. Imo quae verba pontificem dicere oporteret, cum virginem caperet, e libro primo Fabii Pictoris ipse Gellius affert. Ea verba haec sunt: „*SACERDOTEM VESTALEM, QUAE SACRA FACIAT, QUAE IOUS SIET SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POPULO ROMANO QUIRITIUM, UTEI QUAE OPTIMA LEGE FOVIT, ITA TE, AMATA, CAPIO.*“ Haec ipsa formula alias leges respicit a Numa conditas.**)

Saliorum libri, quos sexto loco nominat Dionysius (c. 70), aliunde satis noti sunt, imprimis carmina, quae in hisce contenta fuisse, iure colligimus. Ea ad Numam vulgo esse relata, etiam Varro (de Ling. Lat. VII. 3) docet, dubitans, sintne etiam antiquiora.***) „*At hoc quid ad verborum poëticorum aetatem? quorum si Pompilii regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea ab superioribus accepta, tamen habent DCC annos.*“ Saliorum Palatinorum libri, qui hic soli significantur, utrum nil nisi carmina continuerint, an ritus etiam et caerimonias, decidere non ausim, quamquam hoc illo verisimilius.****) Fetialium iura, quae Dionysius (c. 72) septimo loco commemorat, scripta quin exstiterint, nemo dubitat: a Numa esse

---

*) A. U. 504 ex coniectura Pighii ad hunc annum in Annalibus.

**) Macrob. I. 17. Plut. Numa c. 9. Serv. ad Aen. XII. 603.

***) Quae dubitatio docet, in his carminibus Numae, Musarum cultoris, mentionem non esse factam. Hanc notitiam ex aliis poëmatis esse sumptam, inde efficitur, quod Ennius hanc rem memoravit apud Nonium s. v. Cluit. Cf. Quinct. Inst. I. 10. 20. Cicero de Orat. III. 51. Plut. Num. c. 13 et 14. Horat. Epist. II. 1. 86. Varro de Ling. Lat. VI. 14. Festus s. v. Mumurii Veturii p. 96. Tob. Gutberleth. de Saliis Martis sacerdotibus. Franeq. 1704.

****) Iac. Gutherius (de vetere iure Pontificio) libro I. c. 5. exhibet hanc inscriptionem:
„MANSIONES SALIORUM PALATINORUM A VETERIBUS
OB ARMORUM, ANNALIUM CUSTODIAM CONSTITUTAS“ etc.

condita praeter Dionysium etiam Plutarchus (c. 12) testatur.*) Iam ab hoc tempore inde haec iura litteris fuisse consignata, eo etiam cognoscitur, quod ab exteris ea petita esse consentiunt, vel ab Aequicolis seu Aequis, vel ab Ardeatibus. Quae discrepantia eo tollitur, quod quae Ancus postea addidit, ab Aequis deducuntur; quae Numa, ab Ardeatibus sunt petita.

Restat ut de libris Pontificiis disseram, qui omnium fuerunt et amplissimi et gravissimi. Pontifices enim summam sacrorum curam habebant, deque rebus sacris ius dicebant. Maximi igitur momenti fuerunt libri, qui ius sacrum vel Pontificium amplexi sunt.**) Eos ad Numam auctorem esse relatos, etsi alibi non exstaret, et per se verisimile est, et Dionysio (c. 73) credendum. Libros vero genuinos, urbe a Gallis incensa, perisse iam probavimus***), liceat tamen hoc loco alias adiungere rationes, quae convincant, libros Pontificios, quos postea servabant, ex aliis libris esse compilatos. In iis, teste Dionysio (VIII. 56), omnia narrata erant, quae, urbe a periculo, quod intulerat Marcius Coriolanus, liberata, accidisse credebantur. Fragmenta, quae sparsim servata sunt, praecepta etiam continent, quae ad sacrificia cruenta pertinent, quae fieri Numa noluit, eorumque mentionem fecerunt in causa Horatii, Tullo regnante, acta.****) Ab ipsis libris Pontificiis distinguuntur Annales Maximi et Fasti, commentariorum autem nomine cuncti comprehendi videntur.*****)

---

*) Partem horum librorum supra p. 13 Romuli aetati vindicavimus, partem a Tullo et Anco esse additam, postea videbimus. Cf. I. D. Ritter et I. Luz de Fetialibus Populi Romani. Lips. 1732. Andr. Wagner de Fetialibus et iure Fetiali. Helmst. 1734. Cf. Wachsmuth p. 219.

**) Plut. Numa c. 9. 12. Serv. ad Virg. Ecl. V. 66. Georg. I. 21. Aen. IX. 641. XII. 603. De hoc iure Pontificio scripserunt Fabius Pictor (Gell. I. 12), Varro, Iulius Caesar, Antistius Labeo, Atteius Capito et Fenestella (Gell. IV. 6, Senec. Ep. 108. Auctor de orig. gent. Rom.)

***) Cf. supra Part. II. p. 21.

****) Cf. quae infra §. 3 de hac causa disputabimus.

*****) Cic. Brut. c. 14 „*Possumus suspicari disertum Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur.*“

Aliud singulare scriptum continuit sacra Argeorum*), cuius reliquiae exstant apud Varronem, quae specimen exhibent luculentum linguae Latinae, qualis tum fuerit.**)

Sequuntur apud Dionysium (c. 74—76) instituta publica de agrorum possessione, quae a Numa ad Deorum Termini et Fidei cultum referebantur. Ut appareat, quam arcte horum Deorum cultus cum iure privato coniunctus fuerit***), gravissima Dionysii verba adscribam, quae plures de utraque re fuisse leges, arguant: *Τῆς μὲν αὐταρκείας,* inquit c. 74, *καὶ τοῦ μηδένα τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν ἡ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς τῶν κτήσεων νομοθεσία [τεκμήριόν ἐστι].*****) Praeter has leges de finibus agrorum regundis alias tulit de stipulationibus, quae a Servio Tullio aut sublatae aut mutatae sunt. *Ὁ δὲ Νουμᾶς,* pergit, *εἰς μὲν εὐτέλειαν καὶ σωφροσύνην διὰ τοιούτων συνέστησε νόμων τὴν πόλιν, εἰς δὲ τὴν περὶ τὰ συμβόλαια δικαιοσύνην ὑπηγάγετο, πρᾶγμα ἐξευρὼν ἠγνοημένον ὑπὸ πάντων τῶν καταστησαμένων τὰς ἐλλογίμους πολιτείας.* Iudiciorum usum simplicem reliquit iurisiurandi sanctitate imprimis fretus. *Αἵ τε ἀρχαί,* inquit c. 75, *καὶ τὰ δικαστήρια τὰ πλεῖστα τῶν ἀμφισβητημάτων τοῖς ἐκ τῆς πίστεως ὅρκοις διῄτων.* Fortasse inde orta est legis actio, quam sacramento vocant.

Ad fidei cultum etiam referendae sunt leges de collegiis opificum latae, de quibus disserit Plutarchus (c. 17). Eorum unam apud Plautum (Capt. III. 1. 32) servatam arbitror:

> „*Nunc barbarica******) *lege certum est ius meum omne persequi:*
> *Qui concilium iniere, quo nos victu et vita prohibeant,*
> *His diem dicam, irrogabo mulctam.*"

Quam quidem legem regum aetati vindicant duodecim tabulae, quae ante semet ipsas publica lege de hisce collegiis aliquid constitutum fuisse significant.******)

Numae vero eam adscribi iubet indoles, quam Dionysius eius de rerum venditione legibus tribuit.

---

*) Liv. I. 21. Cf. Fest. s. v. Sexagenarios p. 259. Argeos p. 14. Argea p. 17.

**) Varro de L. L. V. 45 sqq. Cuius monumenti praeclaram dedit interpretationem C. O. Müller, in C. A. Böttigeri Archaeologie u. Kunst. Bresl. 1828. Vol. I. St. 1. p. 69—94.

***) Plut. Num. c. 16. Liv. I. 21.

****) Festus s. v. Termino p. 157.

*****) Id est *Romana* secundum Plauti usum loquendi.

******) Gaj. l. IV. ad XII. tabb. l. 4. D de Colleg. et corpor. (XLVII. 22.) Similis fuit lex Iulia de Annona. Ulpian. l. IX. de Offic. proc. l. 2. D. De lege Iulia de Ann. (XLVIII. 12.)

Inter Numae commentarios etiam eius Fasti fuerunt, quibus novum constituit annum, eumque lunarem duodecim mensium, quem lustro condendo Servius Tullius cum Romuli ratione in concordiam reconciliare studuit.*) Hoc pluribus persequi longum est et ab hoc loco alienum. Sed Fastorum locum, qui servatus est, singularem adscribo, ex quo intelligi possit, quomodo factum sit, ut Numa pro Pythagorico haberetur. Exstat apud Joannem Lydum de Ostentis (Paris 1823 c. 18 p. 62) a Car. Bened. Hasio ita suppletus: *Κῆρυξ δὲ τῶν ἀποῤῥήτων ἡ φύσις. Ὥστ' οὐκ ἔξω φρενοβλαβείας μέμφονται ταῖς μεθόδοις, δι' ὧν τοῦ μέλλοντος στοχάζεσθαι εἰςαγόμεθα· οὐδὲ τὸ περὶ τὴν τῶν ἀστέρων θεωρίαν ἀπασχολοῦν ἔξω θεοσεβείας ποιεῖ· ἀλλ' ἔτι μᾶλλον τὴν πάνσοφον ἔστι διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν θεωρῆσαι πρόνοιαν τοῦ πάντων ἀῤῥήτου πατρός, καὶ θαυμάσαι τὴν ψυχὴν ἀνθρώπου δύνασθαι, ἡγουμένου Θεοῦ, καὶ περὶ τῶν οὐρανίων, ὡς δυνατὸν, διαλέγεσθαι. Ταῦτα μὲν οὖν Φούλβιός φησιν, ἐκ τῶν τοῦ Νουμᾶ ἱστορήσας.***)

At magna exoritur difficultas, quae, an vera Numae instituta litteris mandata ad posteros pervenerint, iubeat dubitare. Posteriori enim aevo reperti sunt Numae libri, qui ab institutis eius, quae quidem tum observabantur, tam discrepabant, ut magistratus eos comburi iuberent, ne religiones dissolverentur. Res est gravissima: idcirco ipsa auctorum verba inspiciamus. Livius ad annum urbis 571: „*In agro L. Petillii*, inquit (XL. 29), *scribae, sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae, octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inventae sunt, operculis plumbo devinctis. Litteris Latinis Graecisque utraque arca inscripta erat; in altera Numam Pompilium Pomponis filium, regem Romanorum, sepultum esse, in altera libros Numae Pompilii inesse. Eas arcas, cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum*

---

*) Nieb. I. 304 sqq. Plut. Num. c. 18. 19. Censorin. c. 18. 13.

**) Fulvius Nobilior, Ennii aequalis, qui omnium Romanorum primus Fastorum librum edidit, Numae in iis saepius mentionem fecit. Cf. A. Krausii Vitae et Fragmenta veterum Historicorum Romanorum. Berlin 1833. p. 125. Fasti publici, quos Cn. Flavius A. U. 449 circa forum in albo proposuit, cum antea in penetralibus pontificum repositi essent, Numae fastos pro fundamento habuerunt. Apparet tamen eos fuisse mutatos a Servio Tullio, fortasse etiam ab ipsis pontificibus.

omnibus absumptis; in altera duo fasces, candelis involuti, septenos habuere libros non integros modo, sed recentissima specie. Septem Latini de iure Pontificio erant, septem Graeci de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuit."

De quibus si quis accuratius cognoscere velit, legat, quae apud Livium sequuntur, quaeque apud Varronem (in Augustini libr. VII. de Civ. Dei c. 34), Plinium (H. N. XIII. 27), Plutarchum (Numa c. 22) et Valerium Maximum (I. 1. 12) exstant. Nos ex Plinio haec tantum addimus: „*Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuissent: ille* (C. Hemina) *ita rationem reddebat: Lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo versus, in eo lapide insuper libros impositos fuisse: propterea arbitrari eos non computruisse; et libros citratos fuisse: propterea arbitrarier tineas non tetigisse.*" Quamvis in nonnullis discrepent auctores, tamen de re ipsa ita consentiunt, ut nulla admitti possit dubitatio, praesertim cum antiquissimi, quos retulisse scimus, scriptores non amplius triginta vel quadraginta annis, postquam accidisset, rem litteris mandarint, ut aut ipsi videre, aut ab iis, qui vidissent, audire potuerint. Restant tamen duae gravissimae dubitandi causae, an vere Numam libri isti habuerint auctorem.*) Graece enim ex parte scripti dicuntur ea aetate, qua ne in ipsa quidem Graecia prosa oratio in usu fuisse vulgo putatur, atque philosophiae Pythagoricae praecepta continuisse toto seculo, antequam Pythagoras natus esset. Ne ad suspectam chronologiae fidem provocemus, quam de ipso Pythagora Niebuhrius urget (I. 264),**) non Solon tantum in legibus condendis soluta oratione usus est, sed multo prius, eadem fere aetate, qua Numa vixit, Charondas et Zaleucus leges composuerunt eosque in Magna Graecia agro Romano confini, imo iam Lycurgus leges litteris consignaverat.***) Quod vero ad Pythagorae disciplinam attinet, eius doctrina tantis obvoluta est tenebris, ut ab ea certa argumenta peti non possint, praesertim cum ignoremus, quantum ex ipsis Italiae sacris in usum suum converterit. Livius denique ipse disserit contra Valerium Antiatem, quod, „*libros Pythagoricos fuisse, adiecisset vulgatae opinioni, qua crederetur, Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili*

*) A Romanis pro spuriis esse habitos, non iure contendit Bernhardi Grundriss der Röm. Litt. p. 73.

**) Cf. Wachsmuth p. 143.

***) G. Gu. Nitzsch Meletemata de Historia Homeri. Fasc. I. p. 50 sqq.

accommodata fide." Haec opinio fidem auget, fuisse hos Numae libros genuinos, quia illi quoque commentarii, qui traditi erant, doctrinam Pythagorae sapere credebantur. Dubitationem vero excitat de horum ipsorum integritate, quod „*praetor, lectis rerum summis, cum animadvertisset, pleraque dissolvendarum religionum esse, se iusiurandum dare paratum esse aiebat, libros eos legi servarique non oportere.*" Hoc ipso argumento efficitur, in iis fuisse, quod a Numae monumentis, quae asservarentur, differret. Sed qua de causa libri cum ipso auctore sepulti sunt, nisi quid continerent, quod taceri voluisset? nisi iis commissa essent, quae sola memoria servari iussisset? Quae cum in oblivionem venissent, ne renovarentur, periculosum videri potuit. Multa vero instituta a Numa non litteris esse mandata, diserte scribit Dionysius (II. 74) et affirmat Plutarchus (Numa c. 22). Itaque commentariorum, quos asservabant Romani, fides non minuitur, sed etiam augetur, siquidem verum est, quod coniectura assecuti sumus, pontificum libros cunctos, urbe a Gallis capta, incendio esse consumptos, postea vero e memoria iisque monumentis, quae servata essent, instauratos. Ceterorum enim sacerdotum libri servati videntur.*) Tum, quae usu non amplius observabantur, aut in hac nova librorum recensione praetermissa sunt, aut suppressa illoque etiam tempore nondum in vulgus nota. Neque enim quisquam libros pontificales ediderat. Sed quidquid statuendum est de Numae libris cum auctore sepultis, cetera scripta, quae eius nomen prae se ferebant, tam multa, tam ampla, tamque varia fuerunt, ut eorum consensus auctorem suum e fabularum tenebris in veritatis lucem vindicent, postulentque eum

---

*) Livius (V. 40) de Flaminum et virginum Vestalium sacris expresse hoc tradit. „*Flamen interim*, inquit, *Quirinalis virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent, consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere: cetera inter se onere partito ferunt via, quae Sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo clivo eas cum L. Albinius, de plebe Romana homo, conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quae inutilis bello urbe excedebat: salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, irreligiosum ratus, sacerdotes publicos sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique, se ac suos in vehiculo conspici; descendere uxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit: et Caere, quo iter sacerdotibus erat, pervexit.*" Cf. Valer. Max. I. 1. 10. Pontificem Maximum Romae remansisse idem Livius narrat (V. 41).

in integrum restitui, praesertim cum monumenta regum, qui ei successerunt, diesque festi in eius memoriam instituti, ipsa denique carmina, quae eius sanctitatem celebrabant, fidem augeant, nosque dubitare non patiantur.

§. 3.

De Tulli Hostilii et Anci Marcii commentariis.

Etsi horum regum commentarii nunquam diserte afferuntur, neque leges supersunt, ipsorum verbis expressae, tamen ab utroque et instituta publica litteris consignata fuisse, et Ciceronis Tacitique aetate non modo servata, sed etiam observata reperimus.

Tullo potissimum adscribitur ius Fetiale, quantum ad res repetendas bellaque indicenda pertineat. „*Constituit*, inquit Cicero (de Rep. II. 17), *ius, quo bella indicerentur; quod per se iustissime inventum sanxit Fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur.*“ Hoc ius Livius quoque ad eum refert, exemploque illustrat belli cum Albanis gesti (I. c. 22—24), quod in huius regis commentariis ita narratum puto. Idem bellum carminibus fuisse celebratum, non est, quod negemus: legem vero de trigeminis publice alendis in commentariis regis fuisse, inque iure Papiriano esse repetitum, ea de causa est sumendum, quod publica auctoritas ei non nisi ex publicis monumentis concedi potuit. Dionysius pugnam inter Horatios et Curiatios commissam, postquam descripsit: *Ἔστι δὲ*, inquit (III. 22), *καὶ νόμος παρ᾽ αὐτοῖς δι᾽ ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις περιτιθεὶς, ὁ κελεύων, οἷς ἂν γένωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης.* Dirksenius quidem (p. 341) dubitat, hanc legem Tullo Hostilio originem debere, dici enim in memoriam eius rei esse latam, non Tullo rogante: quamquam quomodo clarius hoc exprimi possit quam his verbis: *δι᾽ ἐκεῖνο τὸ πάθος κυρωθεὶς*, equidem non video. Licet praepositionem *διὰ* non *per*, sed *propter* vel *ob* Latine reddamus, tamen hac etiam ratione pugna Curiatiorum et Horatiorum legis *causa* esse dicitur, neque intelligi potest, qua occasione data in illius pugnae memoriam eiusmodi lex postea sit rogata.

Sorore ab Horatio triumphante interfecta, legem perduellionis vel parricidii novam a Tullo esse latam, vel in eius saltem commentariis Horatii exemplo fuisse

illustratam, iam supra Ciceronis testimonio probavi.*) Leges de parricidio iam tum fuisse audimus, sed non eam, quae hanc litem dirimeret. Accessit etiam nova iudicii ratio: tum primum, teste Dionysio (III. 22), totus populus, ad quem, rege suadente, provocaverat, de caede iudicium tulit. Dirksenius contendit (p. 341), non legem esse rogatam, quae in futurum valeret, sed quae solam istam causam decideret; ideoque huius iudicii formulas inter leges regias recipere noluit. Eum vero hic quoque errasse, et Cicero arguit, et ad populum provocandi ius dubitare non sinit, quod tum constitutum ex hoc tempore inde mansit.**) In pontificum libris huius causae factam esse mentionem, cum in caede expianda iis peculiare negotium datum esset, non est, quod negemus. Ipsis tamen publicis legibus piacula esse imperata, Claudii exemplum docet, siquidem Lipsius recte ad Horatiae caedem retulit Taciti locum (Ann. XII. 8), ubi Claudius Imperator, postquam Calvinam, sororem Silani, qui voluntariam mortem sibi consciverat, Italia expulit, *sacra addidisse* dicitur *ex legibus Tulli, regis, piaculaque apud Lucum Dianae per pontifices danda.*

Ex commentariis huius regis innotuerunt foedera deinceps cum Albanis icta et iura iis concessa (Liv. I. 24. 30). Praeterea quae cum Sabinis et Latinis pacta sunt, eodem modo ad posteros pervenerunt (Dion. III. 33. 34).

Sacra denique nova Saliorum condidit Tullus. Numa instituerat duodecim a Palatio, ubi sacraria habebant, Palatinos denominatos, iis Tullus addidit duodecim ex voto, quod in bello Sabino fecerat, Agonenses vel Collinos, qui in monte Agonio s. Collino s. Quirinali sacra facerent (Dion. II. 70. Liv. I. 27). In eorum usum peculiares compositos esse libros docet Varro (L. L. VI. 14): „*In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies appellatur Agonia.*“***) Utrum

*) Cic. pr. Rab. c. 4. cf. supra II. p. 19.

**) Cic. de Rep. II. 31. Fest. s. v. Sororium tigellum p. 240. Senec. Ep. 108. Niebuhrius (I. p. 288 et 383) has formulas, quas poëmatum antiquorum putat reliquias, e libris Pontificiis repetit, cum Cicero ex his de provocatione notitiam depromat, quam ego ex regum commentariis demum in illos transisse censeo. Cf. quae supra §. 2 p. 35 de libris Pontificiis diximus post urbem a Gallis incensam refictis.

***) Haec non ad §. 14, ubi in libris leguntur, pertinere apertum est, sed ad §. 12, ubi exstat: „*Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone, eo quod interrogatur a principe civitatis et princeps gregis immolatur.*“ Cf. Fest. s. v. Agonium p. 9, Axamenta p. 3, Septimontium p. 261 et Salias virgines p. 255.

hi quoque carmina continuerint, an aut toti, aut ex parte soluta oratione scripti fuerint, traditum non reperio. Ceterum a re non est alienum animadvertere, ab Aelio Stilone carminum Saliorum interpretationem esse editam, cuius notitiam Varroni (VII. 2) debemus, ex qua plura etiam excerpsit Festus.*) Aliorum quoque sacrorum auctor fuisse dicitur Tullus (Liv. I. 31): „*Devictis Sabinis, quum in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac tota res Romana esset, nuntiatum regi Patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse. Quod quum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu, haud aliter quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere coelo lapides. Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quae, velut Diis quoque simul cum patria relictis, oblivioni dederant: et aut Romana sacra susceperant; aut, fortunae, ut fit, obirati, cultum reliquerant Deûm. Romanis quoque ab eodem prodigio novemdiale sacrum publice susceptum est, seu voce coelesti ex Albano monte missa, (nam id quoque traditur) seu haruspicum monitu: mansit certe solemne, ut, quandoque idem prodigium nunciaretur, feriae per novem dies agerentur.*“ **) Saepissime has ferias celebratas legimus. Unum tantum affero exemplum (A. U. C. 218), in quo narrando Livius addit non secundum libros Sybillinos esse edictum illud solemne. „*Ob cetera prodigia,* inquit (XXI. 62), *libros adire decemviri iussi, quod autem lapidibus pluisset in Piceno, novemdiale sacrum edictum, et subinde aliis procurandis prope tota civitas operata fuit.*“ Alibi *ex more maiorum* esse factum addit vel *ut solitum erat.* A pontificibus eiusmodi solemnia secundum libros sacros esse edicta scimus. Neque enim Numa tantum hoc praecepit,***) sed innumeris historicorum locis hoc custoditum legimus.****)

---

*) S. vv. Manias p. 167, Monstrum p. 168, Manuas p. 169, ubi legendum: „*Manuas in carminibus Saliaribus (pro Saecularibus), Aelius Stilo significare ait bonos.*“ Quam emendationem pro vera et certa agnosces, si contuleris Festum s. v. Matrem p. 91.

**) Festi quoque loci s. v. Novemdiales Feriae p. 110 et 185 exstant de eadem re, quorum alter etsi ceterum e Livio suppletus, tamen Hostilii nomen exhibet fere integrum. In eodem pro *feriis Latinis* legendum est *feriis Votivis*, ut res ipsa docet.

***) Liv. I. 20.

****) Indices ad Liv. s. v. *Pontificum collegium* et *Pontifex Maximus.*

Quid Ancus Marcius de Numae legibus conservandis et restituendis meritus sit, supra est expositum: ipsum quoque novas condidisse leges, easque, quae opificum et agricolarum excitarent industriam, ex iis collegerim, quae Dionysius (III. 36) addidit: *Ἀνακτησάμενος δὲ τὰ κατεῤῥαθυμημένα τῶν ἱερῶν, καὶ τὸν ἀργὸν ὄχλον ἐπὶ τὰς ἰδίας ἐργασίας ἀποστείλας, ἐπῄνει μὲν τοὺς ἐπιμελεῖς γεωργούς, ἐμέμφετο δὲ τοὺς κακῶς προϊσταμένους τῶν ἰδίων κτημάτων, ὡς οὐ βεβαίους πολίτας.* Principium hic agnoscam notae censoriae.

Certum est, Anco magnam iuris Fetialis partem esse adscriptam. Neque exemplum modo belli Latinis indicti ab eo petivit Livius, id quod Dirksenius (p. 343) falso credidit, sed claris verbis novum ius ab eo introductum (I. 32) prodit: „*Ut tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae caeremoniae proderentur, nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Aequicolis**), *quod nunc Fetiales habent, descripsit, quo res repetuntur.*“ Quae deinde sequuntur formulae, si cum illis comparantur, quas Tullius condidisse dicitur, hoc ius etiam ab Anco esse auctum, videmus.

§. 4.

De commentariis Servii Tullii.

Quae Tarquinio Prisco adscribuntur instituta publica (apud Dionysium III. 67), tam incerta tamque indefinita sunt, ut commentarios eius exstitisse, ex quibus depromerentur, mihi persuadere non possim. Virginum Vestalium numerum auxisse, senatores centum addidisse, et tribus duplicasse traditur, sed hoc cum ex carminibus, tum ex Servii commentariis, comparatis cum illis priorum regum, cognosci potuit. Tarquinio regnante priscam iuris constitutionem vel neglectam vel sublatam esse, eius instauratio docet, quae Servio tribuitur (Dion. IV. 10). Veteres leges restituisse dicitur Servius, priusquam rex creatus esset. Quo facto novas etiam condidit leges, quibus populi gratiam sibi conciliaret, de quibus apud Dionysium (IV. 13) haec exstant: *Εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν διένειμε τὴν δημοσίαν χώραν τοῖς θητεύουσι Ῥωμαίων· ἔπειτα τοὺς νόμους, τούς τε συναλλακτικοὺς καὶ τοὺς περὶ τῶν ἀδικημάτων, ἐπεκύρωσε ταῖς φράτραις· ἦσαν δὲ πεντήκοντά που μάλιστα τὸν ἀριθμόν, ὧν οὐδὲν δέομαι μεμνῆσθαι κατὰ τὸ παρόν.* Mirum est, ex tanto

---

*) Cf. Servius ad Virg. Aen. VII. 695.

legum numero unam tantum superesse, quae diserte ad Servium referatur, cum magna iis niti videatur iuris Romani pars. Duo legum genera distinguuntur. Quos Dionysius hoc loco νόμους συναλλακτικοὺς nuncupat, postea (c. 43) περὶ τὰ συμβόλαια fuisse narrat, eos ad *obligationes ex contractu* pertinuisse coniicio, quae parum, opinor, mutatae apud Gaium (l. III. §. 80—181) exstant. Alterum legum genus, quod iniurias vel *obligationes ex delicto* tractavit, cum legibus duodecim tabularum, tum lege Aquilia est mutatum (Gai. l. III. §. 182—225). Ex hisce legibus una ipsius regis verbis est servata apud Festum (s. v. *Plorare* p. 203). Ceterum has quinquaginta leges singulari libro fuisse contentas, ipse numerus, eorumque a ceteris legibus disiunctio statuere cogunt. In iis fortasse legebantur, quae de Nundinis eum constituisse, narrant multi apud Macrobium (Saturn. I. 16), *quibus rustici ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent.*

Alio scripto exposita erat urbis et agri divisio atque descriptio sacrorum, quae singularum partium incolis communia esse voluit. Solemnia in hunc usum constituta fuerunt Compitalia et Paganalia. Illorum mentionem facit etiam Varro (L. L. VI. 25), eaque concipiendi formulam servavit A. Gellius (X. 24); horum leges sua aetate publice esse custoditas, Dionysius (IV. 15) expresse tradit: *Καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν ἱερῶν τούτων, οὓς ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, συνέγραψεν.*

Servio Tullio tota reipublicae constitutio tribuebatur (Liv. I. 42), quae postea maximam partem est instaurata. Neque immerito ei adscripta est illa; classium enim centuriarumque descriptio, quae apud Dionysium (c. 16—21), apud Ciceronem (de Rep. II. 22) et apud Livium (I. 43) legitur, tam accurata est, ut non nisi litteris mandata servari posset. Feliciter evenit, ut pro certo habeamus, non unum librum, sed plures exstitisse de nova reipublicae constitutione. Duo ex scriptis hisce servata sunt fragmenta apud Festum: „PROCUM, inquit (p. 213), *in descriptione classium, quam fecit Servius Tullius, significat procerum.*" Eadem in pagina legitur paulo superius: „PRO CENSU CLASSIS IUNIORUM *Servius Tullius cum dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, ut ait M. Varro in L. VI rerum humanarum, sicuti pro aede Castoris, pro tribunali, pro testimonio.*" Plures horum librorum reliquiae sunt servatae, certis eorum inscriptionibus non additis. Priscum horum monumentorum aevum ipse loquendi usus prodidit: vocabula enim in iis legebantur, quae aurea quidem litterarum aetate de iisdem rebus non amplius usurpabantur. „*Etiam verbis*, inquit Cicero (l. l.), *ac nominibus ipsis*

fuit diligens (Servius Tullius), *qui, cum locupletes* ASSIDUOS *appellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentum aeris, aut omnino nihil in suum censum, praeter caput, attulissent,* PROLETARIOS *nominavit, ut ex iis quasi proles, id est quasi progenies, civitatis exspectari videretur.*" *) Alia eiusmodi vocabula sunt *NI QUIS SCIVIT*. Haec enim leguntur apud Festum (s. h. v. p. 185): „*NI QUIS SCIVIT centuria est, quae dicitur a Servio Tullio rege constituta, in qua liceret suffragium ferre, qui non tulisset in sua, ne quis civium suffragii iure privaretur. Nam sciscito significat dicito ac suffragium ferto, unde scita plebis, sed in ea centuria neque censetur quicquam, neque centurio praeficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriae. Est autem NI QUIS SCIVIT, nisi quis scivit.*" Ad ordines hominum regundos referenda fortasse est etiam lex, qua iussit Patricios non nisi in Patricio vico habitare.**)

De censu lustroque condendo singulares quin fuerint leges, non est dubitandum: in quibus quid de civitate libertinorum sit praeceptum, discernere nunc quidem non ausim, quamquam non omnino negaverim, aliquid de iure manumissorum esse constitutum. Quae hoc loco a Dionysio memorantur, nisi peculiares de censu instituendo fuerunt libri,***) ex tabulis censoriis esse petita possunt, ad quas provocat Varro (L. L. VI. 86), quamquam non in me receperim, has ipsas apud Varronem reliquias esse Servii Tullii.

Ab eodem profectos esse commentarios consulares, quorum mentionem facit idem Varro (§. 88), inde conficio, quod, auctore Livio (I. 60), primi consules ex commentariis Servii Tullii comitiis centuriatis creati sunt. Qui in reliquiis horum commentariorum apud Varronem memorantur iudices, cum, quod sciam, postea in comitiis nullum negotium haberent, eos esse suspicor, quos Servius instituisse dicitur (Dion. IV. 25): τῶν μὲν εἰς τὸ κοινὸν φερόντων ἀδικημάτων αὐτὸς ἐποιεῖτο τὰς διαγνώσεις, τῶν δὲ ἰδιωτικῶν ἰδιώτας ἔταξεν εἶναι δικαστάς, ὅρους αὐτοῖς καὶ κανόνας τάξας, οὓς αὐτὸς ἔγραψε νόμους. Sunt, qui hic originem iudicii centumviralis se reperisse credant. Equidem centumviros, nisi prius, Numae legibus institutos

---

*) Cf. Sosipater Charisius l. I. p. 38 Putsch. Gellium XVI. 10. Fest. s. v. Assiduus p. 9.

**) Festus s. v. Patricius vicus p. 120.

***) Eo fortasse pertinet lex Censoria apud Festum s. v. Produit p. 202.

censeo*), a Servio autem senatores esse hoc munere instructos; illi enim ad antiquum ius Quiritium pertinere videntur, Servius vero contractuum ius primus ordinavit, quare id novis iudicibus esse tributum, veri non est dissimile. Ceterum minime est mirum, harum legum, quae de in ius vocando latae erant, nihil ad nos pervenisse: duodecim enim tabulis maxima ex parte sunt sublatae.

Alii actus legitimi ab hoc rege instituti, quos a Dionysio *κανόνας* et *ὅρους* nominatos reperimus, usque ad Iustiniani tempora observati sunt, siquidem recte creditur omne, quod gerebatur per aes et libram (mancipatio), a Servio esse constitutum. Ita iudicavit C. O. Müllerus**), cui ita assentimur, ut nobis quidem nihil relinquatur dubitationis, testium numerum ad quinque classes esse comparatum, totamque institutionem aere nixam Servii legibus congruere. Id vero concedere non possum, mancipationem inter obligationes ex contractu quondam esse habitam: peculiari potius lege instituta sit oportet, quae classium descriptionem exciperet. Similitudinem quidem emptionis et venditionis habet mancipatio, sed illius, quae, publica auctoritate ornata, obligationem non saepius contrahat, quam solvat. Ad mancipationem pertinent res mancipî, quae non nisi hac solemnitate interposita ex iure Quiritium nostrae fiunt. Quo fundamento rerum mancipî et nec mancipî discrimen nitatur, adhuc certatur. Sunt, qui credant, rerum mancipî abalienationem maioribus difficultatibus esse impeditam, quod ad agriculturam sint necessariae ideoque prae ceteris hominum opes vel dominium efficiant.***) Quorum prius cum de praediis urbanis dici non possit, alterum ad multas etiam res nec mancipî quadret, non omnibus haec sententia est probata. Itaque Niebuhrius (I. p. 503) nova coniectura assecutus est, res mancipî fuisse ab initio, quae in censum caderent: ipse tamen confessus est, quae quidem de iis tradantur, suae sententiae minime favere, quare hanc notionem mutatam statuit. Pecunia enim, metallum quodcunque rude atque pecora certe censa sunt, nunquam vero rerum mancipî fuisse possunt. Mihi quidem si iuris non consulto sententiam dicere licet, res tam in aperto videtur esse, ut nulla omnino reconditiore indigeat explicatione.

---

*) Cf. supra §. 2. p. 36.

**) Etrusker I. p. 386.

***) Ballhorn-Rosen „Ueber Dominium p. 110. Hugo Rechtsg. p. 152. Schilling Bemerk. über Röm. Rechtsg. p. 152 sqq. Hoc discrimen merito Schillingius aliique contra Hugonis sententiam prisco tempori vindicarunt.

Ulpianus enim (Fragm. T. XIX) rationem discriminis addidit luculentam: „§. *1. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis est domus: item iura praediorum rusticorum, velut via, iter, actus, aquaeductus: item servi et quadrupedes, quae dorso collove domantur, velut boves, muli, equi, asini.* §. *3. Mancipatio propria species alienationis est rerum mancipî: eaque fit certis verbis, libripende et quinque testibus praesentibus.* §. *4. Mancipatio locum habet inter cives Romanos et Latinos coloniarios, Latinosque Iunianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est.* §. *5. Commercium est emendi vendendique invicem ius.*" Vitio Ulpiano verti potest, quod commercii notionem ad suae aetatis usum exposuit, non ad historiae fidem examinavit. Satis enim notum est, Romanis cum Latinis fuisse connubium, i. e. ius matrimonia invicem iungendi, et commercium i. e. non ius emendi et vendendi, quod omnibus pacatis populis commune erat, sed ut Romanus ei, quocum publice hoc pactum erat, praedia vendere et ab eo emere posset. Omnes vero res mancipî eae sunt, sine quibus non potuissent praediis uti et frui, quas postea iureconsulti inventarii nomine sunt amplexi: contendo igitur harum rerum mancipî abalienationem et acquisitionem inter eos tantum licitam fuisse, inter quos illud commercium esset. His concessis, eo tutius mancipationis discriminisque inter res mancipî et nec mancipî institutionem Servio Tullio vindicamus, utpote qui primus eiusmodi societatem cum Latinis inisse, omniaque iura accurate descripsisse dicatur (Dion. IV. 25. 26. Nieb. II. p. 17 sqq.). Leges aeri incisas in templo Dianae*) in monte Aventino tum aedificato ipse Dionysius vidit. Ad Servium denique retulerim etiam leges quasdam, quarum auctor non nominatur, quae cum rerum mancipî iure cohaereant, legem dico mancipiorum (Varro L. L. VI. 74), praediorum urbanorum (V. 27), aedificiorum (V. 42), quamquam hoc pro certo affirmari non potest.

Fastos a Servio Tullio esse editos, etsi memoriae non proditur, sumendum tamen est, quia gravissimi auctores ei tribuunt novam temporis computandi rationem. Nihil quidem eiusmodi ad eum refertur, quod non simul aut Romulo aut Numae adscribatur, sed haec repugnantia, quae videtur, iusta crisi facile tollitur. „*Nundinarum originem,* inquit Macrobius (Saturn. I. 16), *quidam Romulo assignant, quem communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis et sodalitatibus institutis, nun-*

*) Cf. Ursinum ad Fest. s. v. Nesi. p. 178.

dinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus affirmat, sed Cassius Servium Tullium fecisse nundinas dicit." Perpendentibus nobis, Nundinas originem duxisse a Romuli anno trecentorum dierum (Niebuhr. I. p. 308), Servio nihil relinquitur, nisi quod iis maiorem auctoritatem dedit, id quod etiam significant ipsa scriptorum verba. Non minus dubitant veteres de intercalatione: „*Quando autem primo,* inquit Macrobius (Saturn. I. 13), *intercalatum sit, varie refertur. Et Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo assignat. Antias libro secundo, Numam Pompilium sacrorum causa id invenisse, contendit. Iunius Servium Tullium regem primum intercalasse commemorat.*" Quid de Romuli intercalatione statuendum sit, in dubio relinquimus, quamquam fieri potuit et verisimile est, ut Romulus annum suum ita solis cursui accommodare conaretur. Numae annum intercalatione eguisse, non est, quod demonstrem (Nieb. I. p. 305). Eius vero intercalandi rationem mutatam esse oportet vel accuratius definitam a Servio Tullio, quippe qui lustro condendo Romuli et Numae rationes inter se reconciliari solisque ad cursum referri voluerit (Nieb. I. p. 309). Tametsi ipsis Fastis caremus, rationes tamen deinceps mutatae, cum legum et institutorum mutationibus consentientes, fidem regum historiae tribuendam mirum est quantum augeant.

Finem impositurus operi si cui multa significasse potius, quam enarrasse videor, veniam mihi datum iri spero, quod mihi arctis programmatis finibus temporisque angustiis incluso argumentum longius persequi non licuit. Sed ne praetermittam, quod sententiam meam defendat, liceat in fine locum adiungere, dissertatione hac iam typis expressa, repertum. Legitur apud Joannem Lydum de Mensibus I. Exc. 24 hoc: *Τὰ τῶν ἄλλων στρατιωτῶν ὀνόματα ἐπὶ σανίδος ἀπεγράφετο· λέγεται δὲ παρὰ Ῥωμαίοις μετρίκιον τὸ πλατὺ καὶ παχὺ ξύλον· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι ξύλοις καὶ φλοιοῖς καὶ φιλυρίνοις πίναξι πρὸς γραφὴν ἐκέχρηντο.* Cui loco Roether, editor, e cod. Reg. Ms. 1231 adiecit: *Οἱ ἀρχαῖοι ἐν ταῖς σανίσι ἔγραφον, ὅθεν μέχρι τοῦ νῦν, ἔνθα γράφονται τῶν στρατιωτῶν ὀνόματα, Ματρίκια ὀνομάζονται.* Quem locum si addimus iis, quos p. 25. N. exhibuimus, philyram seu papyrum corticeam Romanis antiquitus fuisse in usu, omnes, opinor, concedent.
